K 25 supp 57, 4 60/A

Schlossladt-

347910

MORBI

DETERIORIS NOTÆ,

Gallorum Caſtra trans Rhenum ſita

Ab Anno 1757. ad 1762.

INFESTANTES.

Authore Joſepho Adamo Lorentz, *phil. ac med. in Auguſtiſſimo* LUDOVICEO *Monſpelienſi Doctore, olim exercituum, nunc Noſodochii militaris Seleſtadienſis in Alſatiâ Medico Regio.*

Interdum minùs nova novitas, quàm veritas eſt....

SELESTADII,
Typis Franciſci Udalrici Gaſſer Anno 1765.
Cum Permiſſu Superiorum.


AD Clinici Caſtrenſis munus ritè obeundum, idonei eſſe nequeunt, qui Artis elementa primoribus labiis, ùt dici ſolet, delibârunt, & laureâ donati pagos petunt, ibíque ad aliquot annos alienis periculis praxin aliquam addiſcunt .... in Caſtris, ùt in Civitatibus, non èxlex, non temera, non rudis, & irregularis, ùt vulgò creditur, ſed expedita debet eſſe medendi Methodus, certis non omnibus uti licet remediis; plurima deſunt; præcipites mutationes reddunt occaſionem præcipitem, experimenta periculoſa; inopini caſus, & frequens Caſtrorum mutatio tum Medicum, tum ipſos ægros impediunt opportuna facere..... qui hìc exercet Clinicus, certè oportet verſatum eſſe....
Ramazzin. de Med. Archiat. munere, & de Morb. Caſtrenſ.

D. DOMINO
RICHARD
DE
HAUTESIERCK
EQUITI ORDINIS REGII
S[t] MICHAELIS,
PRIMARIO EXERCITUUM
MEDICO,
SALUBRIS CONCILII REGII
SOCIO,
MILITARIUM FRANCIÆ NOSOCOMIORUM INSPECTORI
AC PROTO-MEDICO,
REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ GOTTINGENSIS SOCIO, &c.

QUos in Martiæ gentis ſalutem edidi levidenſes conatus, cui potiùs

offeram, VIR AMPLISSIME, quàm TIBI, qui consilio duxisti me, & exemplo impulisti? oblatos quis sereniore accipiet fronte, quàm cui militum salus tam curæ est, ut nulli magis? Vale, ac fave.





PROOEMIUM.

SAnè nec gloriolæ ſpe allecti, nec reprehenſionis metu deterriti ſcribimus; calamum movit *Tentamen medicum de Dyſenteriâ* Moguntiæ editum eo ipſo tempore, quo hominum millia ſalvabamus praxi ab editore exploſâ; hanc ab iniquâ criminatione palàm vindicare juſſit tum privata, tum communis ratio:

difficili enim *bile tumebat jecur*, cùm videremus acerrimum osorem methodi, quæ nobis cordi erat velut tam tutum ægrotis præsidium, ut tutius ne voto quidem singi potuisset; anxii præterea suspicabamur, fore, ut medici quidam leves, novum libellum affectati, à felicissimâ & in Nosocomiis jam dudum susceptâ therapeiâ improvidè desisterent, quod eheu! infortunium nemo

mo expertus non deflecret. Diffuſam, trivialem & ſupervacaneam Dyſenteriæ hiſtoriam tradere, diſplicuit, hinc ut excreſceret faſciculus noſter, quædam de morbis æquè gravis momenti, de *Diarrhœâ* multiplici, de *Peripneumoniâ & Pleuritide*, de *Febre malignâ*, de *Anaſarcâ, Scorbuto, & Quartanâ* adneximus, nulli ordini ſerviliter adſtricti, ſed idearum noſtrarum ſeriem raptim effati; non enim

Tyronibus loqui, animus fuit, ſed Practicis, non extenſiùs ſcribere, ſed contractiùs, utinam limatiùs!



Mor-



MORBI
DETERIORIS NOTÆ,
Gallorum Castra trans Rhenum sita
Ab anno 1757. ad 1762.
INFESTANTES.

Cap. I.

Dysenteria.



Lvi fluxus dysenterici, id est, mucosi, serosi, biliosi, cruenti, albi (1) nunquam non torminosi & tenesmodei sæviunt

 in

---

(1) Sunt dysenteriæ, quas albas dicunt, quòd excretis nulla sanguinis linea-

in Castra æstate, mitescunt autumno, cessant hyeme; indolem habent morbi plùs minùs acuti inflammatorii, aut inflammatorio-putridi, paucis exceptis, quos nulla, vel levis, vel intermittens (2) comitatur febris.

Qui novit effectus caloris æstivi, scit, ab hoc difflari humorum fluidius, relinqui in vasis spissius, relictæ hujus massæ principia pedetentim disjungi, & in miscelam acrem alkalino-volatilem resolvi; scit, difflari fluidius, tum aucto insensili exhalitu, tum elicito sudore perfluente cutem

---

lineamenta insint. *Sennert. Sydenham. Ettmüller. Willis. &c.* Dysenteria incruenta apud Javanenses. *Observ. nat. curios.*

(2) Vidi hanc tertianam, vel tritæophiam duplicem esse. Dysenteria febricosa. *Werlhof.*

tem, quam idem calor emollit, laxat, & humoribus insensibiliter (1) rarefactis meabilem reddit.

---

(1) Calor 90. graduum in thermometro *Reaumuriano* vix sanguinem expandit unâ 100.$^{m\hat{a}}$ parte sui voluminis, atqui in homine vivo calor sanguinis rarò vel nunquam 40. graduum esse potest, ergo nequidem $\frac{1}{200.}$ sui voluminis parte rarescet incalescendo. Jam si 40.^{mus} caloris gradus tam parùm expandat sanguinem, certè nihil ferè expandet calor æstate auctus, cùm multò inferior sit calore febrium acutarum, qui ad 33. circiter gradus ascendit in morbi vigore. Ergo humorum rarefactio vix ac ne vix quidem rarefactio est, neque hæc tactâ arteriâ, potest persentiri, sed innotescere tantummodò ex artuum circumferentiâ scrupulosissimè mensuratâ.

dit. Qui rursùs novit, inteſtinalis cavi impreſſiones eſſe ita relativas ad corporis ſuperficiem, ut eò ſicciora, ſtrictiora, atque irritabiliora fiant inteſtina, quò humidior, laxior, & perſpirabilior cutis eſt, (2) is quoque perſpectum habet, quid accidat, ſi excretum cutaneum à ventis, à pluviis, ab aëre manè & ſerò frigidiuſculo, ab atmoſphærâ ſubitò mutatâ ad inteſtina repercutitur. His autem mutationibus repentinè factis, non poteſt, quin plurimùm patiatur miles laborans, itinerans, decumbens, pugnans; præter quæ, ſi attendatur ad diætæ militaris vitia, ad excultum adeò à bella-

(2) *Cutis denſitas, alvi Laxitas; cutis raritas, alvi conſtrictio.* Hip. epid. l. 6. ſect. 3.

latoribus *Deum ventrem*, conceptu facile erit, cur, quomodò, & quando hocce hominum genus Dysenteriæ pœnas luat; siquidem, his positis, ponitur concursus plurium, è quibus tanquam è fonte emanat morbi occasio, nempè quid acre intestina irritans, rodens, diducens, plùs minùs excorians, inflammans, vascula eorum abradens, exedens, lacerans, partim in primis nascens viis, partim derivatum ex secundis, & tertiis ob alterationes in sanguine, lymphâ, bile, muco gastrico, pancreatico, intestinali factas.

Quòd ad hujus acris vim & effectum præprimis conferat intemperies Cœli, & quidquid transpirationem turbat, testantur tot dysenterici Zenodochia appellen-

tes pluviosissimo (1) mense Augusto annorum 1757. & 1758. tum & illi, quos anno 1757. suppeditabat legio *de Lövvendahl* urbem Gueldriam obsidens, pluresque hebdomadas circà lacus & paludes degens. Constat idem factis sciscitationibus; memini enim, non paucos respondisse, quòd sub tentoriis madido incubuerint stramini, quòd sudore diffluentes indusium non mutârint, sitim frigidâ deleverint, iter fecerint detritis calceis, quòd sole exusti permeârint rivos, & subitò refrixerint &c. (2) Non-

---

(1) *Per assiduos imbres morbi magnâ ex parte oriuntur, tum febres longæ, tum alvi fluxiones .... intestinorum difficultates.* Hip. sect. III. aph. 16.

(2) Ita certum est, impeditam transpirationem morbo favere, ut noverim plures, qui à refrigeratione tutos

Nonnunquam verò idem acre potissimùm deberi peccantibus cibo, ac potui, & natæ inde cacochyliæ, patet ex dysenteriis febri putrido-verminosæ junctis, ex saburræ apparatu morbum sæpiùs insigniente, ex ipsissimis ægris, se gulæ indulsisse, & paulò ante morbum dyspepsiam sibi accersivisse, ingenuè confitentibus, instar eorum, quos vidi, gravi morbo liberatos pati tormina, & sanguinem dejicere, ubi

---

tutos se præstando & à morbo tuti erant; his præcipua prophylaxis erat vestium hibernarum tarda, & æstivarum cita mutatio. Cùm Vesaliæ anno 1757. medicinam faciens, singulo mane quinque horas darem Visendis 500. dysentericis, non alio, quàm æqualis perspirationis arcano me sartum tectúmque servavi.

ubi primùm lautiori utebantur mensâ, & epulis minùs euchymis vescebantur. In ultimo hoc casu morbus ex putridorum classe est, & probè medelam postulat, quam Synochus putris, cujus est Symptoma; in priori casu genium habet Catarrhosum, id est, hominis dysenterici intestina afficiuntur velut membrana bronchiorum in tussi, aut membrana Schneideriana in Coryzâ. Symptomatum ingressus, progressus, exitus id ferè probant; tormina, cute madente, minora, & siccescente, majora; dejectiones mucoso-serosæ, orto sudore, cessantes, id persuadent, confirmant. (1)

Qui

---

(1) Cruentas alvi fluxiones cum affectibus catarrhalibus comparabat. *Frid.*

Qui morbum tribuunt effluviis, miaſmatis; aut virus (2) admittunt dyſentericum, velut ſtru-

Frid. Hoffman. Vide *Syſtem. rat. tom.*4. *Part.*3.*pag.* 557. *"* eſt autem Dysenteria inteſtinorum Rheumatiſmus. *Cæl. Aurelian. pag.* 524.

(2) De Veneno Dyſenterico noviſſimè ſcripſit *Carol. Strack Med. Doct. in Univerſit. Moguntin. Chirurg. Profeſſ. publ.* Si in magnis caloribus convenit hominum turba, hujúsque putridæ exhalationes ſi tranſeunt in aliorum corpora, id eſt, ſi exhalatæ rursùs inhalantur, oriri Dyſenteriam Vult egregius Author. Negat, ſolum hominem extrà multorum turbam poſitum, quem virulentæ exhalationes non attingunt, poſſe fieri Dyſentericum. Confer *tentamen med. de Dyſenteriâ pag.* 10. 11. 25. 26. *&c.* minùs coarguendus foret laudatus *Strack*

ſtrumoſum, venereum, varioloſum, podagricum &c. Hi quid ſensûs vacuum effutiunt, & malunt ludi ænigmatis, quàm lucidis fulciri rationibus. Ut adſtrui poſſit tale virus, & incuſari abdita cauſa, ſeu futile, & nihil ſonans vocabulum, oportet, morbi orientis, & contagiosè graſſantis Phænomena aliter explicatu ac illuſtratu impoſſibilia eſſe. Sed rem illi penitiùs conſiderent

---

Strack, ſi theoriam & praxin ſuam reſtrinxiſſet ad ſolas Dyſenterias, quas obſervavit; ſed ille latiùs ſeſe extendit, nihil non amplectens, & totius orbis epidemias Dyſentericas ſuo Syſtemati adaptans, quaſi à particulari ad univerſale valeret conſequentia. Non video, cur eruditorum Diarium de illius libello ſcribat: *le titre du livre annonce plus qu'il ne contient.*

derent : ſi æſtatis ardor, diffla- to vehiculo aquoſo, principia ſalina concentret, & talem ef- ficiat craſin, ac diatheſin fluido- rum, ut abs his perluta ſtimu- lentur, criſpentur vaſcula; ſin idem ardor, augendo perſpira- bile, relaxet cutem, ſiccet al- vum, tubámque inteſtinalem red- dat ſolitò plus tenſam, atque ir- ritabilem; (1) ſi recrementum

 cuta-

(1) Niſi abs inteſtinis humidum re- velleretur ad cutim, vaſa inteſtina- lia ùt cætera corporis vaſa laxaren- tur calore ; illa verò ſtringuntur ſuâpte, quia tantulùm exſicceſcunt, aquoſo humore ad Peripheriam translato, & intrà circumfuſum aërem ſuſcepto. Hic ipſe aër quò humidior eſt, eò minus humidi è corpore volantis in ſe ſuſcipit, unde pluvioſo Cœlo, tranſpiraturæ ma- teriei pars retrogradi cogitur.

cutaneum sic auctum, mutatâ atmosphærâ retropulsum, ad intestina remigrans, ibi coacervatum lacessat, vellicet nervea staminula; si colluvies ingestorum cruda, corrupta, per moram acrior facta primas vias veluti rodat, adurat, variè lædat; talia si simul & conjunctim eveniant, num evenient, quin sensiles intestinorum tunicæ ad contractionem instigatæ (1) doleant; quin hùc raptis humoribus inflentur vascula; quin tenerioris textûs loca vulnusculis hient; quin liquori enteretico misceatur stillicidans sanguis; quin crescat vis contentorum

---

(1) Constat, non tam à phlogosi, quàm ab expulsivâ tum intestinorum, tum musculorum epigastricorum contractione excitari tormina.

torum expultrix, quin presso pede sequantur frequentes, cruentatæ, torminosæ dejectiones cum tenesmo, id est, Dysenteria. Nec quid impedit, quominùs malum, tali susceptum modo, instar contagii latè serpat; siquidem morbificum semen, quod in his nasci, illis, postquam velut incubatu delituit, communicari potest, cui rei sufficit, ferri in sanos putrefactiva ægrorum profluvia, quibus introhaustis eorumdem succi jam prædispositi, & in acre vergentes, visceráque jam irritatu facilia, & ad phlogosin prona immediatè labefactantur. Nec demùm necesse est effingere, aut somniare peculiare venenum, ut detur ratio Dysenteriæ potissimùm obviæ, ubi hominum multitudo est; præterquam enim, quòd non soleat, tot inter corpora non

inveniri unum aut alterum ad morbum proclive, nemo neſcit, quàm morbifer,& inquilinii ferax ſit aër denſis animalium exhalationibus fractus, quantúmque atmoſphæra minùs pura, humido-calida & inelectrica faveat ortui illiúſce putrido-acris, è quo ſcaturit morbus, præſertim apud homines, qui ſicut militum agmina longis itibus exarſerunt; Hâc autem circumſtantiâ quòd non indigeat oriturus morbus, docent heu! nimis ſæpè Epidemiæ Dyſentericæ plura ſimul oppida longè ab invicem diſſita, urbes civibus viduatas, & perampla loca, ut ut à paucis habitata, irrumpentes. (1)

Qui

---

(1) Qui ſcripſêre de Dyſenteriis epidemicis, locuti nihil ſunt de magnâ ho-

Qui Dysenteriis Febrem temere negant, totásque Epidemias febre expertes in scenam proferunt, hos vera fax in noscendis & observandis rebus permodicè

 irra-

---

hominum turbâ, de militum agminibus in angusto spatio detentis, tanquam de causâ ad morbi genesin necessariâ. Confer *Fernel. Sydenham. Ramazzin. River. Hoffm. &c.*

Dysenteria verminosa ab Augusto ad Novembrim grassans 4tam. Ruricolarum satis dispersorum partem corripuerat. *Vandermonde Diar mens. Maji.* 1757.

Sub calidissimo Cœlo Ægypti, Arabiæ, Indiæ homines degunt dispersi, ibidem tamen Dysenteria endemia est. Consule *Bont. liber. de hist. nat.*

Anno 1755. idem morbus grassabatur Parisiis, quin verosimile fuerit, illuc venisse mali seminium aliunde ortum. Nec major tunc temporis mul-

irradiat; Aut enim ægrotorum pulſum explorant obiter & tempore, quo Apyrexia eſt; aut Dyſenteriæ nomine inconſultò inſig-

---

multitudo habitatorum erat, ac annis prioribus. Sanè mutationes Atmoſphæræ Epidemiam pepererant. In præfata Urbe familiarior is morbus eſt advenis, ob aquarum Sequanæ uſum: Londini, Amſtelodami pariter ægreſcunt peregrini ob aërem, potúmque inaſſuetum. Ordítur ægritudo à Diarrhœa torminoſâ, quæ mox Dyſenterica fit, ſequente teneſmo cum dejectionibus cruentatis, quorum Syndrome ſi non genuinè conſtituat Dyſenteriam, mehercle definitu aut deſcriptu difficile erit id genus morbi. Nemo neſcit, in Noſocomio charitatis Pariſino hos alvi fluxus pro Dyſentericis haberi & curari; quoniam autem *Carol. Strack* videt, illós-

inſigniunt quaſcunque Diarrhœas ſanguine hæmorrhoidali tinctas, tum & dejectiones merè ſtercoroſas, quarum comes colica eſt,

---

illóſce non proficiſci à cauſâ, quam ſtatuit, concludit, veris Dyſenteriis non adſcribendos eſſe, ſic circulum inducit vitioſum iſto modo retorquendum; Dyſenteriæ Pariſienſes à cauſâ Strackianâ, ſcilicet ab effluviis hominum calefactorum, & anguſto in ſpatio aggregatorum neutiquam naſcuntur, ergo effluvia illa pro univerſali cauſa perperàm ſtabiliuntur.

Si præprimis argui deberet denſus hominum cœtus, cur epidemia pluriès foret ruri, quàm in populoſis Urbibus? vix annus labitur, quo Dyſenteria non inficiat quoſdam Pagos & Viculos ſuperioris Alſatiæ; & ſi non epidemicus eſt hícce morbus, plures ſaltem ſporadicè divexat

forſan etiam Sanguifluxum ab inteſtinorum tenuium hæmorrhagiâ procedentem; Aut planè illi neſciunt, quid febris definitè ſit; Liquet genuinè doctis, hanc eſſe, quoties vires vitales reſpectivè ad muſculares voluntati ſubditas intenduntur, quo poſito, ſuberit febris cum pulſu ap-

---

xat. Diſparet verò circà Octobrem, uvis ad maturitatem perductis, quarum acido-dulce unà cum Atmoſphærâ jam æqualiùs temperatâ contra ægritudinem præſidium eſt; Parcit morbus magis Alſatiæ Planitiei, quàm montanis locis, quod accidit tum ob radios Solis ad calcem montium rariores, aërémque circà auroram & crepuſculum frigidiorem, tum ob ventos in anguſtis vallibus coërcitos, vario colliſu multiplicatos, cutaneum corticem fortiùs afflantes, citiùs ſtringentes.

apparenter naturali, modò extrema corporis proſtratio ſit, quemadmodùm in Febribus quibusdam graviſſimis, ùt *Epialis*, *Typhis*, ubi, nec citò, nec crebrò, immò rariùs interdum feriente arteriâ, æger jacet ſupinus, immobilis, quaſi mole obrutus, & membris fractus. Vidi hujuſmodi Dyſenterias atro notandas carbone, & Symptomatis formidoloſas cum pulſu â naturali vix recedente, re ipſâ tamen febrili, quia major erat, quàm eſſe debuiſſet ex Mechanicis, habito ad vires muſculares reſpectu; cò ſcilicet univerſi corporis debilitas venerat, ut cor ſanguinis motui notabiliter augendo impar, ſaltem par fuerit huic ita ſuſtinendo, ut pulſus, quem languere oportuiſſet, naturali ſimilis manſerit, ſeu, quod perinde eſt, vi creverit relativè ad vim muſculorum

decrescentem. (1)

Stabilitâ morbi Ætiologiâ, facilé elucescunt indicationes, qui-

---

(1) *Vires Artuum* (musculorum) *eò minores sunt, quò tardiùs rariúsque, ac quò pauciores vel minores simul artus moveri possunt ..... vires itaque cordis sunt in ratione compositâ ex duplicatâ magnitudinis ac frequentiæ pulsuum, atque simplâ renitentiæ arteriarum, modò eadem sit in subsequentibus vasis libertas; adeóque virium vitalium ad vires artuum liberas ratio cognosci potest ... hinc patet cuique Medico, pronum esse, judicare, num in dato homine, cujus pulsum sanum, & vires liberas assuetas novit tum usu, tum analogiâ, vis pulsûs sit in majori ratione ad vires liberas, quám in statu sano; quod quidem per approximationem tantùm possumus exequi, & in his utî geometrica præcisio non obtineri potest, ita non necessaria est ad Praxin.* Sauvag. class. morb. tom. I.

quibus ad feliciſſimam curam quaſi manu ducimur, quibúſque ſi ad amuſſim ſatisfit, tam docile & citò medicabile videbitur hócce malum, ut nemo futurus ſit, qui calumniosè inuſtum ipſi peſtis (1) nomen non ulciſci velit. Collimant hæ indica-

(1) Peſtilens morbus eſt ſecundùm plures, queis medendi facilitas nondum ſatis comperta eſt. Si tales ſunt bellicæ res, ut Dyſenteriæ tempeſtivè occurri poſſit, certiſſimum eſt, húncce morbum præ multis aliis minori negotio ſubmotum iri, & in Noſodochiis numerum Dyſenteriä extinctorum (cæteris paribus, & ſervatâ proportione) ſemper minimum fore; falſóque falſius eſt, quòd tot hominum millia id malum ſuapte indole interfecerit, ùt vulgò fertur. Urbs Noveſii (*Nuys*) anno 1757

cationes in acre *tutò* evacuandum, & in demulcendum id, quod evacuari recusat.

Acre

1757. tumulus quidem fuit Dysentericorum plurimis; sed cùm primis belli temporibus deëssent Medici, non erat, qui miseros illos verâ arte salvaret. Præterea cùm iisdem temporibus Dysseldorpii erectus nondum esset locus recipiendis ægrotis aptus, necesse fuit, hos evehi, & trans Rhenum ferri, Novesium venturos cum morbo & per iter & per moram jamjam Lethali.

Anno 1690. citiùs ac feliciùs evaserunt, qui Dysenteriâ, quàm qui Diarrhœâ simplici laborabant. Videsis *Constitut. epid. Ramazzin. pag.* 129.

Quòd plures Dysenterici solo potu calidæ sanescant, docet *Tissot- avis au peuple sur la santé pag.* 233. quàm fræni patiens sit hic affectus, leges ultrà.

Acre evacuatur *tutò*, si priùs laxetur strictum, si dometur phlogosis, sin erethismus ita sedetur, ut emeticis atque catharticis locus esse possit, quin irritatio augeatur, quin morbi stimulo & addatur stimulus artis, spasmos, inflammationem, purulentiam, gangrænam fovens, promovens.

Demulcetur acre aquosis, quæ diluunt, eluunt; oleis & mucilaginibus, quæ inviscant, obvolvunt; acidis, (1) quæ contrariâ vi enervant. Id quoque fit

---

(1) Decocta incrassantia, tamarindis, aceto, cremore tartari acidula reddita pulchrè opitulari, vidi in Dysenteriis putridi genii; nec inde me perculit miratio, propriâ utpotè experientiâ & lectione edoctus, fructuum esu plures à Dysenteriâ præservâtos, aut libe-

ſit *tutò*, ſi non fidas acidis quibuslibet, niſi ubi putredo alkaleſcens poſcit condenſantia; ſi timeas ab oleis, quando internus ardor & deliteſcens ſaburra horum ranciditati favet; ſi demùm cautus ſis, ne intempeſtivè demulcendo, ſtimulum, quo materies morbifica expellitur, citiùs obtundas, ſicque excretiones in initio ſalutares, & optimo naturæ fine inſtitutas aut ſiſtas, aut retardes. Quæ omnia & ſingula exquiſitè ad unguem explanare, non unius horæ, vel pag-

---

beratos eſſe. Poſſunt tamen fructus horæi immaturi, & intempeſtivè ingeſti ciere dyſpepſiam fermentoſam, unde exſurgit quaſi *gas ſylveſtre*, quod, inteſtina irritando, Dyſenteriæ occaſio fit. *Quenay œçon. animal. tom. 3. pag.* 12.

paginæ res foret. En generatim adumbrata, quæ votis cessit, methodus sincera, & simplex, dicata exercitibus, celeriter adjuvandis, sine fastuoso medicaminum apparatu.

Primâ die secetur vena brachii; (1) injiciatur clysma emolliens ex decocto seminum lini, florum verbasci; detur haustus olei amygdal. dulc. Potus sit ex hordeo & oryzâ, seu ex micâ panis, & cornu cervi usto.

Pro-

(1) Qui Dysenteriâ perit, inflammatione & gangrænâ perit. Hæc una ratio (factâ à cæteris abstractione) monet, ut apud plerosque curam adordiamur phlebotomo, cujus solius ope morbum sustulerunt *Amat. Lusitan. River. Botall. Paschol. C. Claud. Sydenh. Boërhaav. &c.*

Proximo mane exhibeatur pulvis hypecacuanhæ à gr. XX. ad XXXX. ſerò reiterentur clyſma, & hauſtus oleoſus.

Tertio mane præſcribendum catharticum ex rhei drachm. I. mann. calabr. Unc. II. electuar. catholic. Unc. ſemiſſe. ſub noctem ſequens pro bipartitâ doſi, poſito horæ intervallo.

℞. Decoct. hord. Unc. III.
Syrup. de alth. F.
Ol. amygd. dulc. recent. expr. aa. Unc. I.
laudan. liquid. Sydenh. ſcrup. ß.

Quarto mane infuſum propinetur ex rhabarb. ſeſqui drachmâ; veſperè rursùs potio paregorica cum laudano, aut pro re natâ diaſcord. drachm. I. cum aliquot granis Camphoræ.

His paucis non rarò totum quantum auſcultat malum, quia ſic

ſic diluto, obtuſo, correcto, eliminato acri, quod irritabat, ſic lubricatis, lenitis, laxatis fibris, quæ irritabantur, neceſſe eſt, minui vires *expultrices*, augeri *retentrices*, nomina Veterum à Neotericis præmaturo & iniquo judicio contempta. Verùm enim verò ſi morbus pejoris & acrioris ſit indolis, aut in leniendo, ſopiendoque magis incumbendum eſt, aut plus laboris in evacuando requiritur. Dolore, febre, phlogoſi ſtantibus, vel aſcendentibus, multiplicari debent clyſteres, iiſque adjici theriaca, philonium romanum, foveri abdomen oleis camphorâ imprægnatis, (1) augeri doſis

C lau-

(1) Si Dolor in inteſtinis urgeat, partes ſub umbilico calidâ multâ lavare jubet *Hipp. libr. de affect.* Sunt, qui foven-

laudani, & retundi vena pro ſymtomatum acutie. Pulſus parvus ſæpè nil indicat, præter ſpaſmos, ſtricturas & inflammationem vel præſentem, vel proximè futuram; unde tantùm abeſt, ut ſanguinis miſſionem vetet, ut è contra hanc planè imperet. (2)

Quod

fovendo abdomen, totum ſe curæ opus abſolviſſe, ajunt.

(2) Pulſus parvus videretur, ùt venæſectioni, ſic & opiaticorum uſui obſtare, niſi quotidiana praxis doceret, arteriam, ſumpto laudano, fortiùs ſæpè, liberiùsque ferire. Sic opii oſores hallucinantur, fallaci credendo pulſui, dúmque ægros liberare volunt, fugiendo, ùt cane pejus & angue, opiatica, eoſdem in caſſes & laqueos inducunt. Dyſentericus omninò gelidus & pulſu carens, largâ opii doſi incaluit. Videſis *Ramazz. conſtit. epid. p.* 201.

Quòd si febris, ac dolor decrescant, fluxu Dysenterico persistente, ad hypecacuanham & rheum redire juvat, & paulò pòst ad roborantia opiaticis nupta confugere, v. g. ad alterutrum ex sequentibus bolis bis térve in die vorandum

℞. Opii ppt. gr. ß.
Camph. gr. II.
Cort. Kinkin. subtiliss. pulv. scrup. I.
Confect. de hyacinth. q. s. m.

***

℞. Rhei torrefact.
Succ. catech. aa. scrup. ß.
Elect. diascord. q. s.

Demùm si febrilis fervor, si tormina, si orgasmus, si dejectiones, si omnia mansuefiant, operæ pretium est, subadstringere, & fractum vi morbi tonum redintegrare; Decocta cort.

simaroubæ, cascarillæ, quinquinæ, ligni santali rubri id præstant; quæ validiora sunt, non quadrant, nisi alvus obstinaciùs fluat, cum manifestâ laxitate, quo in casu cavendum est, ne, viribus retentricibus prorsùs debilitatis, intestina fluxui assuescant.

Hâc ductus viâ, per septimanam solis nutritus jusculis, solet Patiens convalescere, & concessis posteà ovis sorbilibus, panatellis, oryzâ, modico vini, in vires resurgere. Qui nonnullos molestat tenesmus, seu assidua desidendi cupiditas, raró oritur à saucio intestino (propter quod mollia ano indenda forent) communiter debetur recti tunicis à præterlabentis materiei proritatione tumefactis; cedit id autem spontè, nec pharmacis, sed meris analepticis opus habet.

Acci-

Accidit interdum, vires teſtudineo redire gradu, appetitum diù languere, linguam non mundari, ægrum palleſcere, & in recidivam niti. Monent hæc, ut, quod ex morbo reſiduum eſt, blandè effundatur, rursùs porrecto infuſo rhei, ſive per dies aliquot in uſum tracto ſequente.

℞. Rhei elect. ſcrup. I,
Catech. ſcrup. ſſ.
Hypecac. gr. II.
Syrup. de cichor. comp. q. ſ. m.
f. Bolus mane ac ſerò degluttiendus.

Nullum non curatum novi hiſce remediis conſultò adhibitis, & ſi quis periit, huic certè ſeriùs medicina facta eſt, poſtquam malum in incunabulis neglectum altiores jam, & inextirpabiles

radices egerat. (1) Diffiteri tamen haud possum, quòd occubuerit unus aut alter, primis etiam diebus curæ meæ traditus; tenebat autem hunc Dysenteria, ùt ajunt, maligna (2) cum inflammatis totis intestinis tenuibus, cum cruciatu torminum immani, extremis frigidis, pulsu depresso, celeri & inæquali, cum dysuriâ, stranguriâ, siti, ardore aphtodeo faucium, raucore vocis

(1) Morbo nimis inveterato, vires ad vomendum requisitæ deficiunt, data & repetita tunc temporis emetica non movent vomitum, atque funesti, ne dicam, internecini sunt eventûs.

(2) An talis Dysenteria ab atrâ bile, quam lethalem pronunciat Hippocrates? rara hæc species si *pestilens morbus* audit, nemo repugnat.

cis, ſingultu (1) leipothymiis, jectigationibus, cum excretorum colore brunneo, fœtore cadaveroſo, deterrimo &c. quibus conjunctim, vel ſeorſim præſentibus, ſemper conclamatum erat, nec ullus evaſit, licèt mutatio in melius, horis durans, paululum ſpei addere videretur. His miſeris ad quid levaminis ferendum, & vitæ horulam protrahendam, nil cognovi aptius, quàm ſequens cochleatim.

℞. Aqu. menth. unc. IV.
Syrup. fl. tunic. unc. I.
Confect. de Hyacinth.
Cort. peruv. ſubtiliſſ. ana. drachm. I.
Lil. Paracels.
Laud. liq. ſyd. ana. ſcrup. I.
Camph. cum duplo nitr. contrit. gr. VI. m.

 mor-

(1) *Si ſingultus accedat lethale; ſi angina,*

Mortuorum inteſtinis inſunt rubor, livor, nigredo, inflammationis, gangrænæ, ſphaceli totidem ſigna; (1) in veſicâ verò urinariâ acutiſſimos dolores paſſâ, nihil morboſi cernere eſt; quia doluit hæc, non idiopathicè, ſed propter inflammatam viciniam, (2) propter conjunctas & ani, & veſicæ muſculoſas fibras, vaſáque eandem in utroque originem habentia ſimul irritata, ſimul diſtenſa. Apud paucos necroſin refrænare

na, lethale; ſi difficultas deglutiendi, mortem imminentem prænuntia. Bagliv. prax. med. l. 1. p. 73.

(1) Talem inteſtinorum labem repe-rêre obſervatores *Bartholin. Barbette. River. Plater. de la Moniere. Lieutaud. &c.*

(2) *Ad recti inteſtini inflammationem ſtranguria accedit.* Hipp. ſect. v. aph. 58.

nare licuit, mediantibus decoctis rad. ſerpent. virg. & cort. peruv, hiſce non ſtatim mors, mala tamen immedicabilia ſucceſſêre, ùt fluxus lientericus, cœliacus, anaſarca, aſcites, phtyſis pulmonum, tabes, quæ lentè necabant, ſpretâ omni medicinâ excogitabili; nec enim penes artem erat, tollere mali cauſas, quales fuêre inteſtinalis tractûs ariditas, abraſio, exulceratio, canalium illuc hiantium obturationes, glandularum ſcirrhi, varii abſceſſus, exſiccatio viſcerum, cum humorum eliquatione, & peſſumdatæ totius machinæ atoniâ. Hujuſmodi autem calamitoſa ſubſequi, oppidò rarum eſt; nec ultrà duos ex innumeris ægris vidi, verè leucophlegmaticos fieri, poſtquàm alvo per aliquot menſes fluente, eò venit cruoris & ſeri jactura, ut exhauſto virium penu, vaſis

languidè oscillantibus, liquidisque debiliter pulsis, tandémque in textu celluloso stagnantibus, necessariò intumuerit cutis; quam quidem intumescentiam, sicut & cæteros morbos secundarios (quibus *Hemiplegia transversa* (1) annumeratur) adscribere Dysenterico virus intùs retento, nec satis evacuato, (2) æquè ridiculum foret, ac si dicerem, quemdam ex hyperemesi leipothymicum

---

(1) Paralysis brachii in uno, & pedis in altero latere. Hanc Dysenteriis succedentem nusquam observare, nobis contigit, utì *Philipp. Conrado*, & *Georg. Kipping*, quorum lege theses *Helmostad.* 31. *Febr.* 1750.

(2) Consectaria hæc mala, ùt & tenesmum & stranguriam à virus Dysenterici retentione repetit D. Strack. *tentam. med. de Dysent. pag.* 99

eum factum, re ipsâ talem esse, quia non satis vomuit; aut, quod eòdem recidit, aliquem purgationibus exinanitum plenitudine laborare, & ulteriùs purgandum esse, ut sanetur.

Therapeia nostra non eguit *Guill. Pisonis* primo, secundo, & tertio infuso hypecacuanhæ, tribus successivè auroris administrando. Neque ex re fuit, radicem brasiliensem mitigare methodo Dni *Sydobre*, qui hanc suâ spoliabat resinâ; iste enim animi scrupulus quantum boni potest præstare, imminuendo vim hypecacuanhæ irritantem, tan-

---

99. " si tenesmus à multo veneno " est.... oportet sæpè medicamen" tum emeticum dare. *pag.* 90. Idem proponere, non veretur, in difficultate mingendi. *pag.* 91.

tantum mali parere potest, castrando vim ejus evacuantem; siquidem in multis Dysenteriis plùs putridis, quàm inflammatoriis, plùs chronicis, quàm acutis, etiam satis acriter evacuare convenit, docentibus clinicis, (3) qui, ad avellendam hoc in morbo saburram, non foliis sennæ tantùm, sed & mercurialibus, mechoacannâ, agarico, aliisque drasticis usi sunt. Cæterùm mihi persuasum non est, laudatæ radiculæ vim inesse specificam; autumo solùm, quòd, aliis emeticis blandiùs agens, aliquantulùm

(3) *Crat. Dioscorid. Sydenh. Boyl. &c.* Ait is ultimus, se curâsse Mercurio dulci Dysenterias obstinaciores, & eodem remedio usum esse Chirurgum, ùt arcano adversùs Dysenterias castrenses.

tulùm adſtringens, tonum impertiens, vaſa hiulca claudens, in Dyſenteriis, prærogativam mereatur. Crediderim facilè, emeticum qualecunque hic æquè profuturum eſſe; tùm materiem morbi citâ ac breviſſimâ viâ eliminando, tum ciendo violentos abdominis concuſſus, quorum ope 1°. acris colluvies inteſtinis tenaciter impacta avellitur, & mobilis redditur. 2°. Motus periſtalticus debitò citatior turbatur, inhibetur. 3°. Varii viſcerum meatus infarctu liberantur, & penetrabiles fiunt. 4°. Muſculi omnes contrahuntur, quatiuntur, & noxius humor ab inteſtinis velut depulſus diaphoreſi extruditur; Quibus de cauſis ruminans mecum, aliquoties in rebelli diarrhœâ propinavi vo-

mi-

mitorium (1) citrà saburræ notam, & brevì pòst vomitum observavi dejectiones rariores factas; non igitur remedii emetici qualitas, quæcunque sit illa, sed sanat propriè ipse vomitionis motus; (2) ídque tantò verius est, quòd plerumque in memoratis circumstantiis nihil, præter potiunculam emeticam, nihil, quod quantitate, aut qualitate spectabile sit, per os ejiciatur.

Vitrum Antimonii ceratum qui hîc attollunt, tanquam morbi antidoton, sinant me (suffra-

---

(1) *Galen. Mercat. Zac. Lusitan. Ang. de sala.* ex recentioribus Baro *Wan-Svviet.* aliíque eundem in finem vomitiva præscribunt.

(2) *Longo alvi profluvio spontaneus superveniens vomitus morbum solvit.* Hipp. sect. VI, aph. XV.

ragantibus obſervationibus) hoc deprimere, & flocci facere. Cæteris remediis incaſſùm adhibitis, aliquoties ad ejus uſum veneram, ſed tam parum frugis inde elicui, ut lubens vellem, exularet hoc ſine neceſſitate fabricatum ens, & è medicaminum catalogo expungeretur. Non arridebit forſan, id tentatum à me eſſe, poſtquàm alia nil præſtitêre; & minimè ipſum remedium, ſed ſerior, & præpoſtera ejus exhibitio arguetur. Eſto; verùm, ſi, effectûs gratiâ, ad iſtud antimoniale debet recurri illicò, perrarus ei honos erit; utpotè pauci Medici in morborum principio ſimile quid compoſiti periclitabuntur, cùm in ſimpliciori tutior cognoſcatur ſalus, & veriora remedia, ut ita dicam, *pau-*

perrimus quiſque cœnet. (1) quamdiu quidem antimonii vitrum liquatâ & uſtâ cerâ velut bituminoſo glutine oblinitur & involvitur, tamdiu blandâ agit vi, tranſit ad inteſtina, quin cieat vomitum, leniter tantùm ſtimulat, & criſpat; inde eſt, cur id genus remedii nonnunquam ipſis infantibus abſque noxâ porrigi, & non Dyſenteriis modò, ſed uteri hæmorrhagiis quoque mederi, viſum ſit. (2) At quid obſtat, ne cera illa à ventriculi & inteſtinorum ſuccis, tum & à loci calore interdum diſſolvatur, ſpicu-

læ-

(1) *Plin. Hiſt. nat. L. 24. cap. 1.*
(2) *Geoffr. mem. de l'acad.* 1755. *p.* 162. Fuſius Antimonii cerati præconium lege in *Act. med. Edimb. tom. V.*

læque mochlicæ vitri, destructo tegmine, ita explicentur, ut lethaliter irritent; & hyperemesin, aut hypercatharsin moveant, qualis contigisse legitur (1) ægroto; cui famulus medicinam hanc aquæ bullienti infusam propinârat.

Si quis me culpet, quòd liberalior sim in exhibendis narcoticis, offendit me minùs, quàm experientiam, quæ testatur, opium sacram ægrotantibus esse anchoram. Nec ratio contrà est, quandoquidem opiatica, non solùm relaxandi vi, minuunt impressionem stimuli, sed & vi diapnoicâ, quod acre morbificum est; ad cribra cutis derivant; unde saluberrimus emergit mador, pace novissimi auctoris,

---

(1) *Thes. de Dysenteriâ Dni. Navier.*

(1) nescio, queis iste oculis rem intuitus sit, ut nusquam criticum in hoc morbo sudorem observârit. Nec memini, in Dysenteriis multùm dolorosis (2) & peracutis usquam nocuisse lauda-

(1) *D. Strack* (vide *pag.* 72.) vix coætaneum habet, qui neget, Dysentericis sudare, bonum esse. Quot Dysenteriæ 7mo. 8vo. aut 9no. die per sudorem terminatæ! Parisiis degens, obvium in plateis habui Collegam, qui, cùm tenesmo, colicâ, & dejectionibus cruentis vexaretur, ibat Comœdiam spectaturus; interroganti mihi, cur domo exiret ægrotans, dixit, aulam ubi agunt Comœdi, locum suæ curationis fore, sudore sibi eliciendo ab hominum densâ collectione; Dictum factum, sudavit, & domum rediit sanus.

(2) Nec quis putet, illásce Dysenterias fuisse symptomaticas. Si quotidiè

danum liquidum, ut ut primo morbi nychthemero exhibitum, quidquid obganniant, & clamitent, qui hujus usum, evacuantia præeuntem, asperè increpant, veriti, ne, suppressis opio dejectionibus, (1) venenum intùs, ve-
 lut

---

diè quinquagesiès circitèr dejicitur materies mucosa cum intertextis striis cruentis, cum tenesmo, & torminibus adeò acutis, ut rigescat hypogastrium, & ferociat febris solius ratione doloris, quin alia febrilis causa antecesserit, nunquid primarius & verus morbus *Dysenteria* erit?

(1) Dejectiones illæ nonnunquam sunt maximâ ex parte symptomaticæ, seu solius effectus irritationis; ergo non semper crisin constituunt, nec idcircò, illis cessantibus, cessabit veneni ejectio, ùt annuit eruditus *D. Strack, pag.* 47.

lut anguis sub herbâ, maneat. Scio autem, opium non modò non remoram (2) fuisse materiei morbificæ, sed istius fugam promovisse, intestina priùs spasmis constricta & occlusa relaxando, aperiendo, humorique exituro quasi viam sternendo. Ne hisce-re quidem audeant, qui contrà opium tot blaterant; si cogitarent, quoties opii usus locum habuerit in primis viis, nullam inflammationem minantibus, & putridâ saburrâ oppletis, non mirarentur, ita improvidè & malesanè porrectum hoc remedium to-

(2) *Narcotica quævis, quòd sint veneni remora, maxime nocent.... hoc medicinæ genus hominum plus, quàm pessima pestis trucidavit.* Idem pag. 78. quàm inconsiderata, & vix non temera criminatio!

toties infaustò cessisse. Similis ferè sors & opio, & peruviano cortici est; ab ineptis utrumque præscribitur intempestivè, & si neutrum votis respondet, mille statim convitiis proscinditur, cùm non, quod præscriptum est, sed qui præscripsit, redargui deberet. Et quemadmodùm, si sinistri quid accedat febri, protinùs in culpâ cortex est, creditúrque, à cortice patratum esse, quod frequentiori reditu ipsa patravit febris; sic solent insonti opio tribui, qui ipsiusmet morbi, vel cujuscunque alterius rei effectus sunt. Totus ego certus sum, laudani liquidi panaceâ letho rapuisse me innumeros, & observatione attigi, quandoque tam promptam opem ferre cœlestem hanc tincturam, ut vix ac ne vix quidem intelligam, esse clinicos posse, qui alto supercilio, & abjectâ pro-

probissimorum virorum (1) authoritate, illam improbare au-
sint

---

(1) Laudanum ad XXV. guttas (quæ dosis non in omni climate quadrat) octavâ quavis horâ exhibuit Sydenhamus in rebelli malo. *Nec vel minimum incommodi*, inquit, *à tam frequenti narcotici repetitione mihi adhuc videre, contigit.* De Dysent. epid. anni 1669. pag. 112. docet idem, esse Dysentericos, quorum curatio unico laudani usu absolvitur, quin opus sit evacuare.

Quàm egregiè opiaticorum usus contulerit Dysenteriis anno 1693. grassantibus, leges apud Ramazzin. pag. 201. *nec forsan affectio est*, ait ille, *in qua securiùs & liberaliori dosi exhiberi possit hoc remedium, fractis licet, ac penè attritis viribus.*

Dysentericos plures suo liquore minerali salvavit *Frid. Hoffman.* Dulce mihi est, meminisse duorum prorsùs deplo-

ſint ; multò minùs ſubſcribam peritiſſimo Profeſſori Moguntino, qui, ſpreto opio, totum curæ opus in emeticis ponit, (1) quaſi nuſquam poſſibile foret, hujuſ-

---

deploratorum, quos, cùm Caſſellis eſſem, reſtitui ſumptâ ter in die pilulâ ex opii gr. I. Camph. & croc. orient. aa gr. III. confect. de hyacinth. ſ. q.

Dyſenteria in Indiis Orientalibus frequentiſſima exaſperatur à mitiſſimis purgantibus ; cedit autem tutiſſimè extracto croci multum opii in ſe habenti. Bont. hiſt. nat. & med. Ind. orient. libr. 2. cap. 3. & 4.

Sanatio (Dyſenteriæ) *abſolvitur acris irritantis lenimine ...... pacatione impetûs per narcotica.* Boërhaav. aph. de cogn. & curand. morb. p. 131.

(1) *D. Strack* quinquies emetico concutit

hujusmodi purgantium irritamento, auctâ intestinalis tubæ phlogosi, & acceleratâ gangrænâ, patientes ad stygem mitti; æquissimum quidem esto, ùt ait ipse, salutis cardinem in evacuationibus versari; at præsentibus spasmis, stricturis, doloribus acutissimis cum febre, quis amabo! statim vomitorio fidet? sanè

---

cutit ægrum, & interpolatis diebus tincturam rhei præscribit. Confer pag. 67. ubi convalescens in recidivam inclinat, sextum emeticum suadet pag. 69. si non infelix fuit methodus hæc inclemens, concludo cum illustrissimo de Sauvages, *naturam esse optimam medicatricem, cùm invitis, quæ à medico objiciuntur, impedimentis, ægrum tamen à morbo liberet.* Claff. morb. tom. 4. p. 31.

ſanè hoc in caſu vitalis indicatio ſpectat ſymptomata, in quorum lenimen & pacationem omnes animi nervos intendere, fas eſt, priuſquam cogitetur de causâ morbi impetuoſè expugnandâ. Hominum plus occidiſſem ego, quàm pulvis pyrius, niſi venæſectiones, clyſmata (2) & hauſtus paregoricos purgantibus (3) opportunè præmiſiſſem; de his autem ne verbulum quidem pro-

(2) *Dyſenterias profligavi ſolo ſero lactis intùs dato, & per clyſteres injecto.* Bagliv. prax. med. l. I. p. 73.

(3) *Liquet demùm .... quantâ ſit prudentiâ opus medico, daturo purgans in magno dolore illarum partium* (inteſtinorum) *quámque varia remedia & methodus medendi requirantur ad Dyſenterias curandas.* Boërh. aphor. p. 195.

fert præfatus clinicus; dabátne curam solis ægrotis indigenis, solis Germanis, quorum iners & indolens fibra emeticum, ut ut inconsideratè datum, impunè tolerabat, dum vigiles, & irritabiles Gallos meos haud securò purgare poteram, nisi sopito priùs erethismo? in cujus quidem erethismi gratiam non semper opus fuit, purgationem differre, & rejicere in crastinam diem; turgente enim & sui expulsionem urgente humore, statim post missum sanguinem, post injectum clysma vomitorium dedi, nullâ habitâ ratione ad diei horas. Talem nonnunquam esse hunc erethismum, ut sanguini omninò parci possit, non inficias eo; cùm in Cassellarum nosocomiis mederer anno 1760. plurimos sanavi, nec venam tutundi; morbus scilicet placido & la-

& laneo quasi pede procedebat, genii erat benignioris, minúsque febrilis, quàm prægresso anno, & tam mite, tam tractabile videbam aliquando malum, ut, omisso emetico, solius cathartici, solius ope rhabarbari funditùs tolleretur. Quamobrem attendatur, velim, non unam omnibus annis medendi rationem esse, modò multum, modò parùm remediorum requiri, nunc magis conferre, quæ simpliciter leniunt, minùs quæ evacuant, & vicissim; sicútque epidemia quævis suum ludere scit drama, ita in praxeos theatro multiformem se præstare posse, personæ Medici est.

Ut meliùs patescat methodi nostræ tuta ac genuina ratio, eloquere ô Vesalia! quæ adhucdùm doles, ac ploras, quos tibi annis 1757. & 1758. morbus hic rapuit cives, cùm in Gallo-

rum

rum Zenodochio vix unum aut alterum militem è medio sustulerit, te teste. Urbis incolæ fato functi, & sepulti numerabantur decem circiter quotidiè, dùm miles vix centesimus occubuit, reliquis omnibus sanitati restitutis. (1) Nec in Urbe solùm tot strages edidit dirum hoc malum

(1) Dicit peritus D. Strack tentam. med. pag. II. *se scriptum accepisse anno* 1757. *quòd Dysenteria Gallorum exercitum depopularetur maximè, & plura hominum millia jugularet.* Aut Scriptor candido viro fucum fecit, aut hallucinatus ipse est, omnes tunc temporis emortuos censendo dysenteriâ occisos. Memorato anno, qui in Wesaliensium nosodochio periêre Dysenterici, erant ad sanatos ùt 7. ad 600. quem computum Clariss. Collega D. Deh. jam ante me experiri, lætabatur.

lum, sed & in agris vicinis totas extinxit familias eodem tempore, quo omnes ferè nostrates æquè graviter affecti Parcarum manus eludebant, & vix ullius funus efferebatur. Sors adeò dispar aliúne rei debetur, nisi medicinæ perperàm factæ apud indigenos, & datis remediis calidis, demulcentium, antiphlogisticorum loco? Westphalici quidam medicatores, nescio, quo seducti, né dicam infatuati, errore, in Dysenteriâ proscribunt clysteres & venæsectiones, ipsisque ægris nationalibus, præconceptâ lamentabili opinione, ab hujusmodi auxiliis horror est. Me quidem non fugit, quòd iisdem practicis, *priùs evacuare, quàm astringere* hâc in affectione, sacrum axioma sit; enim verò aut exhibent hypecacuanham, quin priùs comminuerint ereth-

erethiſmum, irritabilitatem; aut alvum movent catharticis; quæ intempeſtivè adſtringunt *in receſſu*; reverà (qualiſcunque fuerit febris, caloris, doloris gradus, incunctanter rhabarbari guttulas, aut pulvillos arripere illos, vidi; Properant præterea ad fotus roborantes, ſpirituoſos, nervinos, nec exſpectant ſymptomatum deferveſcentiam, ad præſcribendos ſpecioſo titulo pulveres abſorbentes, incraſſantes, ſtringentes, ſtomachicos, bezoardicos, ad mixturas ſudoriferas, alexipharmacas, cordiales, ad extracta amara, elixiria, antidota, eſſentiarum omne genus, vina Moſellana, Burgundiaca, & conſtipandi, inteſtinúmque velut obturandi gratiâ, paſtas amygdalinas in Bataviâ con-

fectas

fectas. (1) Cùm debilitas ægroto salutaris foret, toti sunt in conservandis viribus, & quasi alvus flueret à laxitate, aut lævitate, religiosè cavent, ne, paulò plùs laxando, lethalis reddatur atonia; opii præparationes idcircò parcissimâ, & scrupulosissimâ porrigunt manu; liquor mineralis Hoffmanni, & theriaca cœlestis sunt solum sopiens, quo utuntur tremuli. Morbo populariter grassante, prophylacticum censent, quidquid calefacit viscera; prædicant vinum meracum, rati, *hujus utilitatem vix æquari Deorum potentiâ*, (2) suadéntque amicis suis, jejuno ventriculo pocu-

(1) Hospes meus, cùm Wesaliæ essem, ejusmodi pastas munificè ægrotis amicis dispensabat.

(2) *Asclep. Plin. hist. nat.*

poculum haurire, & baccas juniperi, zingiber, aut cardamomum masticare manè, antequàm domo exeant. Narrare ex multis unum liceat: vocabar sub finem Octobris anni 1758. in subsidium puellæ, ætatis 24. annorum, quam omni spe exuerat Medicus urbis *Physicus*, formulis suis, per septem dies septies mutatis, laterem lavans; inter complura cùm chymica, tùm Galenica, quæ præstò erant, supposè eminebat mixtura sudorifero-cardiaca, multo cinnamomo satura, de quâ deplorabilis victima, sitiens, calens, sanguinémque dejiciens cùm acutissimis torminibus, identidem cochlear hauserat, licèt conquesta fuerit, hócce pharmaco sibi fauces exuri, & dolores torminum exacerbari. Ego, misso modico sanguinis, & in usum

tract-

tractis demulcentibus, mucilaginosis, anodynis remediis, ejulantem ægram, trium spatio dierum, salvam feci. Experiebar hìc pro primâ vice celebratam à recentioribus nonnullis radicem salab, (1) ad drachmas II. in aquæ unciis VI. coctam, addito ad gratiam syrupo cydoniorum; cochleatim id sorptum lenivisse, scio; num æquè lenivisset aliud incrassans, non scio; sed multum discriminis salab, & tragacan-

E tham

(1) Salab. Salep. orchis persica, species satyrii. unifol. bulbos. duplex, flor. purpur. *Albert. Seba thes. nat. rer. tab.* 83. è radice bulbosâ instar gummi solutâ exsurgit gelatina. Vide bulbarum Orchis præparationem & usum, proposita à Dno. Geoffroy. *Mem. de l'Acad. des Sciences, année* 1740.

tham intercedere, háncque illi longè posteriorem esse, progressus praxeos, ni fallor, neminem edocebit.

Tot incolarum Wesaliensium funera allatam methodum, nostræ è diametro oppositam, eò minùs eximunt culpâ, eò damnant justiùs, quòd his ipsis incolis, qui periêre, nihil defecerit tempore morbi, & non Medicus solùm *ad ea, quæ facto opus sunt, præstò esset, sed & æger, & ii, quos præsentes esse oportet, & res externæ ad id probè comparatæ fuerint,* (1) intereà dum nostrates milites, qui convaluêre, iisdem, & aliis requisitis magnâ ex parte destituebantur; nam, ut sileam abusus in Nosodochiis nul-

(1) Hipp. sect. I. aph. I.

nullâ Medicorum (1) sollicitudine abolendos, putà ptisanas, jusscula, medicamenta modò inconcinnè præparata, modò frigidè, modò promiscuè porrecta, modò ex neglectu, aut oblivione prorsùs omissa, nemo sanè est, cujus commiserationem non moverint infortunatorum duri lectuli, & gracilia stragula, mutua eorundem infectio, corporum vix non nudorum translatio

(1) Notissimum est, quàm strenuo & indefesso labore spectatissimi castrorum Protomedici *D. D.* P. & R. emendârint, quod cum morborum sanatione minùs rectè congruebat; nihilominùs manent, manebúntque res fatales, à Nosocomiis castrensibus non divellendæ, quæ interdum perturbabunt praxin, & rectissimos Medicorum gressus à vera via deflectent.

tio ad latrinas &c. Conticeo multa alia viſu triſtia, quæ ærumnoſam, & amarulentam reddere praxin, feliciqué ejus eventui obſtare videbantur; quàm difficile ſit, morbi hiſtoriam expiſcari ex militibus, iiſque medicinam facere, ſciunt omnes, qui nôrunt plumbeum & indocile horúmce hominum cerebrum, quorum incondita reſponſa aliquando magis perturbant Medicum, quàm Symptomatum cahos, quorum plures medicamina vi repudiant, cibos ſub ſtragulis reconditos furtim vorant, aut, ad hos ſibi concedendos, quod mali gravius eſt, Medicum celant. Animadverti, non paucos linguam cultello abradere, ut os inſpecturus deciperer, & à præſcribendo cathartico avocarer. Accidit ſemel, ut mihi caput extorquerem in gratiam explo-

randi

randi doloris, quem moriens amariſſimo cum planctu in lumbis (1) perſentiebat; animâ ad manes profectâ, viderunt famuli, dolentes lumbos caſeo & pani durè incubuiſſe. Subjungi unum debet, quod non raró in mali cumulum accedit, morbóſque militum deſperatiores reddit, nempè Noſtalgia, (2) ſeu ardens illud, patriam reviſendi, deſiderium

(1) Dolores lumborum intellectu difficiles ſæpè in moribundis obſervare eſt. Vide apud Bonetum *Lumbaginem à renum ſcirrho, á pylori, pancreatis, venæ cavæ induratione; à vermibus renum, ab earundem partium tumore, abſceſſu &c.*

(2) *Maladie du Pays. Noſtalgia* Nenteri. *Noſtomania, Pothopatridalgia* Zwingeri, qui refert carmen, Helvetiæ amœnitates exprimens, quod cane-

rium, quod miſeros homines nocturnis, diurnis agitat & angit horis; nec noſtrate, nec exotico papavere pacari poteſt effrænatum & ruptis habenis debacchans hoc malum, demulcentia ex Pharmacopolio eludit omnia, nec eſt morale ratiocinium, (1) quod hìc opitulari poſſit; vivaci illo ſtimulo eousque quatitur anhelans, & languens animus, eouſque depaſcitur ſuſpirioſum cor, & viribus exuitur, ut, quæſitâ diù patriâ

canere, interdicebatur ſub pœnâ capitis; quia milites Helvetos ad deſerenda caſtra incitabat.

(1) Negligenda tamen moralia minimè ſunt; debet erigi ægroti mens, promiſſo in patriam reditu. Sic Pathematici mali palliatio fiet; non fiet, ſi inſontia viſcera multis pharmacis divexas.

patriâ, tandem mors inveniatur. Inde eſt, quòd obſerventur occumbere potiùs, quorum nomen militiæ, ſortiendo, (1) datum; quandoquidem hi & patriis laribus, & patrio vomeri aſſuefacti, invitè armati, coactè exules, non poſſunt, quin penatibus præ aliis maleſaniùs inhient.



Cap. II.

De Diarrhœa multiplici.

UTinam! inſtar luis Dyſentericæ, ſanatu faciles forent cæteri alvi fluxus, quibus miles plectitur, quorúmque diſcolor facies, & multimoda origo tam variam expetit therapeiam, ut in

(1) *Les Miliciens.*

in remediorum ſelectu aliquandò vel expertiſſimus hæſitet. Scit, qui praxin extremis guſtavit labiis, quantò magìs, qui, hanc profitendo, conſenuit, tot in implicito, & irretito hoc malo opus eſſe combinationibus, tantâ ſagacitate, & perſpicaciâ, ut nihil mirum ſit, adeò diſſentire, qui hâc ſuper re ſcripſêre, auctores, & artem, ſi unquam, certè hìc ſubinde aliorum ſalute, aliorum interitu exerceri. Non mens eſt de Diarrhœis nullius momenti, ex levi Dyſpepſiâ natis, quas, præmiſsâ catharſi, vel emeſi, facili negotio ſiſtunt remedia ſtomachica, vires chylopeias reſtaurantia; nec de illis, quas ſimpliciter ſeroſas, vel bilioſas vocant; primæ enim abſorbentibus, ſubadſtringentibus, lapſum inteſtinorum tonum erigentibus, ſecundæ demulcentibus

bus acidulis, acrem & expansam bilem refrænantibus pulchrè cedunt, dummodò exundans (1) serosa, aut biliosa colluvies tempestivè evacuetur; id quod in fluoribus serosis non per vias alvi, & renum solùm, sed & sæpiusculè per cola cutanea fieri, felix sudoriferorum usus non semel docuit; nec denique illas intelligo, quarum Author erethismus est, ubi lenientia, emollientia, hypnotica, clysteres, & venæsectiones omnem absolvunt paginam; prætermitto quoque

(1) A seri effluxu concludi ad seri exundantiam non debet; cùm per seri jacturam possit serum deficere, & corpus exsuccum esse; ergo in serosis Diarrhœis sæpenumerò serum suppeditare, neutiquam hoc evacuationibus detrahere, oportet.

Diarrhœulas fortuitas, ab animi terrore, à ſuſcepto natas frigore, quas ſaluberrimas (1) eſſe interdum, & vel ſpontè, vel morâ in loco calido, vel leviſſimi ope remedii mox evaneſcere, videmus. Sermo eſto de Diarrhœis pejoris multò & obſtinacioris genii, & primò quidem, quæ foventur ab infarctis meſaraicis, & inteſtinalibus glandulis, quo tetro vitio (niſi expugnetur in incunabulis) ſublatu profectò nihil difficilius eſt; infarctu videlicet iſto cum alvi fluxu inveteraſcente, & altè radices figente, ſen-

(1) *Unâ die fluere alvum ſæpè pro valetudine eſt, atque etiam pluribus, ſi febris abſit, & intrà ſeptem dies conquieſcat; purgatur enim corpus, & quod intùs læſurum erat, utiliter effunditur.* Cels. libr. 4. cap. 19.

ſenſim ſine ſenſu ita enervatur corpus, ita inhibetur humorum circulus, ut vix præcaveri poſſit infeliciſſimus aſcites, quo præſente, parum affluet ſpei ab aperientibus tonicis (obſtructiones enim jam ſcirrhi ſunt) minus à purgantibus hydragogis, quæ quidem evacuant venas, cavum verò, ubi ſtagnat ſerum, ab obturatis poris bibulis non ampliùs reſorbile, minimè evacuant; unde his in ægris repetita catharſis ventrem neutiquam complanat, ſed, viſcera exſiccando, auget obſtructiones, &, humorum circulantium molem minuendo, exhaurit vires, ſicque tragœdiæ finem accelerat. In propatulo hìc eſt, quantoperè interſit, obſtare principiis, ægroti, cui ſoluta alvus eſt, habitum ritè oculis dimetiri, explorare abdomen, & tactis obſtructionibus, aut (ſi tactu

tactu non perceptæ) ſaltem ratiocinio confirmatis, ocyùs confugere ad aperientia , habitâ tamen cautione , priùs præſcribendi laxans rhabarbarinum, aut hypecacuanham, proùt caſus tulerit. Eſt autem conſiderantiâ opus; non quadrant aperientia indiſcriminatim ſumpta, nec porrigi feliciter hæc poſſunt ſub formâ liquidâ , præſertim vinoſâ, veluti vulgò præſcripta vina medicata , quæ moleculis reſinoſis imbuta ſummoperè officerent, alvi fluorem ſuſtinendo , ne dicam, augendo; meliorem herclè ſortiuntur effectum ſapo albus officin. millepedes, gummi ammoniacum, borax , terra foliata tartari , ſal abſynthii, cum ſyrupo è quinque radicibus redacta in maſſam , cujus drachma bis in die voranda datur. Num hujuſmodi bolo efficacior , aut æqui-

æquipollens foret, quod novissimâ famâ in usu est, extractum cicutæ, (1) disceptandum relinquo experientiam facturis, & *Storckianæ*

---

(1) Præter Tractatum Clariss. Dni. Störck cum supplementis, legi meretur Dissertatio de cicutâ edita Argentinæ anno 1763. constitit nobis bis, Extracto cicutæ appetitum frangi, ventriculum infirmari, produci fluxum alvi à Bradypepsiâ, quapropter dubii sumus, utrùm in memoratis Diarrhœis hoc tutè prosit; quòd si longo id usu referet intestinales glandulas, nonne morbum evacuatorium potest reddere habitualem? videretur consultius esse, hancce herbam certis includere finibus, & cancro tantùm, scrophulis, paucissimisque aliis morbis consecrare; latiùs extensi & ad tot ægritudinum genera accommodati usûs esse, vix potest, quin benè meritæ celebritatis suæ quidpiam amittat,

kianæ ſibi aleæ ſortem patienter pollicituris. Quòd ſi infarctæ, ùt dictum eſt, glandulæ univerſâ ſtipentur laxitate, quæ ex corporis ſubtumidi pallore, ex languido pulſu, partium omnium ſegnitie & indolentiâ facilè innoteſcit, aperire meatus, haud ſufficit, oportet & corroborare vaſa. In hunc finem aperientibus vulgò dictis tonica junguntur, datâ palmâ martis limaturæ, Caſcarillæ, Cinnamomo, nuci moſcatæ, cortici Winterano &c. Aſt evenit nonnunquam, obſtructionibus híſce irritatis, ſtricturæ potiùs, quàm laxitatis accedere ſigna, & tum præfatis remediis activis nec Diarrhœam ſiſti, nec infarctum reſolvi, ægrotantem verò dolores colicos pati, & viribus dejici; ſuadet inſignis hæc circumſtantia, ut memoratis bolis identidem ad-

datur granum ſemis opii, vel ut pulvis aperiens diaſcordii ſcrup. II. involvatur; quo facto, molleſit venter, inteſtini erethiſmus compeſcitur, & motâ diaphoreſi, cohibentur dejectiones. Adverte tamen (Lynceis Medico opus oculis) talem aliquoties eſſe hanc irritabilitatem, ut aperientium uſus per tempus abdicari debeat; dolet nimirùm abdomen non à flatuoſo, viſcido-acri, ſed à ſurdâ phlogoſi, ab hærente in obſtructis capillaribus cruore; hic cordatè & cautè, non cunctanter inductus, ſuccurrebam venæſectiunculâ, & laudano liquido, admiſtis virium gratiâ cardiacis; poſthàc licuit, placatâ dolorificâ tenſione, redire ad prima remedia, ad primam cauſam, ad ſpiſſum & obſtructum, cujus ſucceſſiva reſolutio alvum tandem raram reddidit

didit. Neque hìc *finitur Orestes*; fit nempè aliquandò, ut, deoppilatis optimè viſceribus, ventréque detumeſcente, & molleſcente, nihilominùs fluat alvus; hoc in caſu ſola culpanda venit laxitas, longioris morbi pediſſequa; quod malum ex prioribus neceſſario fluit fato in ſubjectis fibræ delicatulæ, ac torpidæ; requirit id autem validiſſima roborantia, & quidem ſtyptica; inter hæc alumine, inter illa cortice peruviano, nihil efficacius eſt; vim utriuſque, junctim, vel ſeparatim ſumpti, potentiſſimam, & velut divinam non ſemel ſum expertus.

Liquet ex dictis hactenùs, quot ſcenis ſe prodat, quàm anomalâ, & variegatâ ludat larvâ hæc Diarrhœæ ſpecies, modò

ad

ad *Cœliacum*, (1) modò ad *lien-*
F *teri-*

(1) Si Cœliaca definitur *Fluxus Chylosus*, ens rationis eſt; *ſi fluxus alimentorum ſemicoctorum, cineritiorum, bile non tinctorum*, gradu tantùm differt à Lienteriâ, quæ ſi hominem primariò adoritur, auctas vires expultrices agnoſcit, & irritationi debetur, ùt Lienteria ab aphtis, ab ulcere ventriculi &c. ſi alios morbos ſequatur, deſignat quoque irritationem, ſed imbecillitati junctam; id eſt, pylori, valvularum inteſtinalium, & ſphincteris ani laxitas, materiei dilutæ fluxilitas, cum tunicarum morbis labefactarum teneritudine, ſenſibilitate, & ad motum periſtalticum proclivitate, ad ejus geneſin concurrunt. In alterutro caſu meris adſtrictivis uti, nefas eſt. Quoties eheu! medicamentis hiſce oleum camino additur, *& fluxus alvi, quem conſopire animus eſt, uberiùs provocatur!*

tericum fluxum referenda, & quotuplici paſſu contrà id malum iri debeat, ita, ut hîc Medicum, *Orpheum* agere vigilem, ſit neceſſe; liquet porrò, quàm perfunctoriè, quàm iniquè medicinam faciant, de corio humano ludentes medicaſtri illi, nullo ævo excuſandi, qui extemplò, quin rem multùm perſcrutari graventur, remedia ex adſtringentium claſſe depromunt, non attendentes, an ab alvo laxâ morbus, an à morbo alvus laxa ſit, num criticus ſit fluor, & inſtitutus optimo naturæ fine, molientis, eliminare, quæ infarciunt, & liberare, quæ infarctu laborant. Utinam ſciretur, & lege ſanciretur, quòd alvus deciès fluat ab erethiſmo, & activa ſit, intercà dum ſemel à laxitate fluit, & paſſiva eſt!

Pro-

Propero ad Diarrhœas non minùs pertinaces, quas febricula lenta, ſitis, & calor concomitantur; in his nocent roborantia, adſtringentia, quia calefaciunt, irritant, attenuant; nocent diluentia, temperantia, quia relaxant, debilitant; nocent & incraſſantia, quòd non raro onerent ventriculum. Quid in hâc abſtrusâ rerum Metamorphoſi agendum? *filo Ariadneo* hìc quoque opus; inquirere incumbit medicamen, quod roborando non accendat, & leniendo non frangat ſolidorum tonum, quod, humores ſicco-acres demulcendo, edulcando, non caſtret vires coctrices, & viciſſim quod, digeſtiones emendando, non diſſolvat fluidorum compagem. Tale ſi quid ſimile inerrat naturæ theſauris, ni fallor, eſt ſerum lactis pellucidiſſimum,

cui rosæ rubræ incoquuntur; simplicius, & in hoc casu convenientius connubium, nón existimo, excogitari posse, illúdque à nemine consulto aspernatum iri, confido, cùm multotiès hócce, per cyathos epotum, vota nostra explêrit. Paulò plùs roboraturus, æqui boníque consulebam, rosis corticem simaroubæ addere; quo pacto certiùs, citiúsque scopum attingere, datum erat. Fieri progressu temporis solet, ut in his fluoribus, febrili æstu stipatis, humores ad dissolutum sulphureo - acre vergant; dum infeliciter eò ventum est, multum opis fert tinctura rosarum vitriolata, interpolatis horis, ad aliquot uncias hausta; sed non possum, quin cœlotenùs attollam usum decocti chinæ chinæ acidulati, & aluminati: bulliant nempè in aqua per ho-

ræ quadrantem corticis contusi drachm. V. aluminis rup. drachm. ß. & colaturæ libris II. instillentur spir. vitriol. guttæ XXV. addáturque pro lubitu paululum appropriati syrupi, datus omni trihorio cyathus ineffabilis est efficientiæ; hoc opitulante, non paucos à funeribus erui, nec melioribus armis confodi morbum posse, didici.

Funestissimæ omnium sunt Diarrhœæ, quibus contabescunt milites, jam plures passi recidivas; horum vix non deplorato statu, meherclè spes in angusto est, nec innotuisse puto remedium hucusque sat efficax; omnis generis incrassantia, stringentia, analeptica, restaurantia, stomachica, cardiaca, & quæ plenis decantant buccis, specifica vix quid proficiunt. Miserorum horúmce sanguis, loturæ carnium

ſimilis, omni ſpoliatus mucilagine eſt; Diarrhœam, leviculâ renaſcentem occaſione, rebellem reddunt viſcera, prægreſſis morbis labefactata, ad chyloſin & diacriſin non ampliùs apta, corrigendo morboſo fomiti minimè paria, vim pharmacorum impunè haud ſuſtinentia. Jugi interim liquidorum affluxu inteſtinales tunicæ laxantur, quaſi macerantur; ductus earum excretorios, velut totidem ſcaturigines, alluit, quidquid boni in vaſis ſupereſt; per laxata, & diducta canaliculorum oſtiola tranſudat (1) humor ruber; fluxus, ùt

(1) Liquor ruber aortæ intruſus effunditur in ventriculum & inteſtina; ergo illa ſanguinis tranſudatio per *diapedeſin*, aut per *anaſtomoſin* facta facilè poſſibilis.

ût ajunt, hepaticus fit; venæ ſenſim emunguntur, exinaniuntur; textus fibrillarum exſuccus collabitur; quod remanet parum ſanguinis, & lymphæ, brevì effœtum, vappidum hærere incipit in variis locis; ſubſequuntur hinc indè, præſertim in meſenterii glandulis, oppilationes, tophaceæ concretiones, diverſi peſſimi ominis tumores, non modò intùs tactui, ſed & extùs in facie, collo, inguinibus, viſui ſe ſiſtentes. Atrophiâ ita in dies creſcente, & decreſcentibus viribus paulatim circulatio languet, ceſſat in extremis; fiunt œdemata à pauco ſero ſuperſtite; ſtaſes extremorum tranſeunt ad vaſa majora, ad corporis centrum, & cor reſiſtentiis victum heu! morbum cum vita finit. Quoniam, abrepto muco papillas nerveas obducente, quæ ſubtùs ſunt

tunicæ, irritabiliores fiunt, accidit, apud aliquos inteſtina poſtremùm erodi, inflammari, exulcerari; qui quatit, & divexat infeliciſſimos hos ægros dolor, impoſſibilis dictu eſt; adeò gemunt ac lamentantur, ut ob acerbiſſimos cruciatus his miſeris, *citò mori, beatum ſit.* Nonnulli paucis ante obitum horis loquuntur aliena, cachinnantur, cantitant, dolore ſcilicet tùm ceſſante, frigentibus extremis, cum pulſu exiliter unduloſo; quod indicat, inteſtinis, velut cancro priùs exeſis, jam ſphacelum ſubveniſſe.

In deſperatis his caſibus aërem verberare me, dices, ſi de curatione verba facio, contrarius conſummatiſſimis in arte viris (1) monentibus, *non licere aggredi*

---

(1) Hipp. Galen. Cels.

curam eorum, qui à morbis victi sunt; nec oportere deploratos attingere, sed magis recedere. Cùm verò horum mens tantùm esse videatur de suapte naturâ deploratis, & immedicabilibus, non ideò sensus erit, ægros, pronunciato periculo, ad extremum usque non juvandos esse, id quod plurimorum innuit observatio. (1) Quidquid sit, ego ratione, experientiâ, & authoritate fultus in desperatis desperavi nunquam, nec à radicali morbi medica-

(1) *Sæpè aliquem solers medicorum cura reliquit,*
Nec tamen hic, verâ deficiente, perit.
Medicus inventus est ad instrumentum naturæ: tandiù instrumentum naturæ non est ex toto subtrahendum infirmo, quandiù natura non succumbit. D. August.

tione deſtiti, ægrotum ſoli prognoſtico relinquens. Notum itaque eſſe velim, quòd, in curandis hujuſmodi profluviis colliquativis, proſperè ſucceſſerit lactis Vaccini ebutyrati libra, in qua trium ovorum vitellos miſceri, probè dilui, & ferrum candens extingui, curaveram. Quatuor ægri, vix non deleto pulſu, ſpiritum emiſſuri, uſu calido hujúsce lactis mirè vivificati, & refocillati ſunt, fluoris fonte ſenſim ſine ſenſu exareſcente. Idem obſervare licuit in quinto conclamato milite, pariter ad vitam revocato; (erat enim minùs ſanatio, quàm reſuſcitatio, ſeu quid *monſtroſum* (1) *à naturâ*) is au-

---

(1) *Reſtitui non poſſunt, naturâ à causâ morbificâ exſuperatâ, niſi accedat aliquid monſtroſum à naturâ.* Averroës.

tem, dum vires *orthostodèn* recuperârat, insultu epileptico correptus decessit. Qui perpendit hoc, perspicit, præfatum medicamen, nutriens, incrassans, detergens, balsamicum, subadstringens, tonicum, niti in indicationes, circà quas, adæquatè implendas, tota stat ægrorum salus. At dolendum est, perquàm raròistis lacticiniis fidi posse; quia vix non semper acescere solent apud tales ægrotantes, quorum imbecillis coctio, primæ viæ impuræ, & succi peracres sunt; quapropter illa præscribere reformidabam priùs, quàm æquâ ponderârim lance contraindicantia, & sciscitatus insuper fuerim, num ægrotus lac appeteret, num, lacti assuefactus, id facilè ferret, nec ne; quo examine ut ut scrupulosè facto, dubius tamen permansit aliquandò lactis usus; tantùm

tùm hinc incitabar, quantùm inde deterrebar; ſic fluctuans in bivio, imperabam prædictum lac, infuſo foliorum menthæ, alióve ſtomachico alteratum.

Veniendum demum eſt ad alvi fluxus, quos, primo intuitu, curatu facillimos credit Medicus; ſecuro fretus animo adhibet ille evacuantia, mox corroborantia, & omnia remedia indicationibus apparenter reſpondentia; attamen nihil prodeſſe, nullam fieri mutationem in melius, videt. In uſum properè vocantur alia, non ventriculum modò, & vires coctrices, ſed generalem corporis Oeconomiam reſpicientia; totus eſt Medicus in corrigendis & ſolidis, & fluidis; oleum tamen, & operam perdit, vaſtiſſima materiæ medicæ promptuaria nil ſuggerunt, quod juvet; alvus jugiter fluida

eſt

eſt, inteſtina exulcerantur, creſcit maraſmus, & patiens moritur. Frequenter id contingere, nullus mirabitur, cogitans, dari Diarrhœas ſcorbuticas, venereas, ſcrophuloſas, arthriticas, pluréſque à retropulsâ ſcabie, tineâ, ichore ulceroſo, aliáve materie nocivâ, inteſtinis per metaſtaſin impactâ. Hujuſcemodi morbos ſymptomaticos, cùm ſanandi ſpecificis fuiſſent, lethales reddit cauſæ obſcuritas; latens enim virus afficit ſolum meſaræum, ſolas glandulas inteſtinales, cæterùm nihil; urgens ſola Diarrhœa militem adducit; quis proinde locus, ſuſpicandi virulentiam, quam ſagaciſſimus ne quidem ſubolfacere poteſt? Quid movet ad ſcrutinium principii inſoliti in familiariſſimo, & quotidiano affectu, in ſubjecto aliàs incolumi? quòd ſi etiam alvi fluxus

xus, qui citò ſiſtendus foret, diù medelam eludat, & trivialis methodi ſucceſſum fruſtretur, quid tum? eſtne mox quæſtio agenda de remediis ſpecificis, de oppugnando fomite peculiari, maligno? nunquid priùs in mentem veniet inſulſa ægrotantium indoles, de explendâ gulâ magis, quàm de ritè ſumendis remediis ſollicita? aut aliud quid occaſionale, fortuitum? cujus interventu in Zenodochiis ſimpliciſſimus, & benigniſſimus morbus curationem ſæpiuſculè detrectat. Leves Diarrhœas, neglectâ diætâ, fieri graves, & minimè juvari ægrum, niſi victûs regimen juvet ipſa remedia, quotidiè videre contigit; vice versâ, id genus mali fræni impatiens, & pharmacis vix vincibile, animadverti centiès obtemperâſſe, dum ſolâ ex cornu cervi gelatinâ nutriveram æg-

ægrum, planè interdictis cibis ſolidioribus, minúſque euchymis, quos infirmus ventriculus, ut ut omni abſente febre, & aliquali vigente appetitu, concoquere non poterat.

Veteri Lienteriæ aſſidet Anaſarca in viro, qui vix ac ne vix quidem vivus ad Hanovienſe Noſodochium appulit; curandi labor multiplex, ſed inanis eſt, ne pulſus quidem refocillatur; cùm ferè aſphyctus, & exanimis eſſet homo, in conſpectum prodit tumor inguinis, quem ſyphiliticum bubonem eſſe, ex anamneſticis conjicere, in promptu fuit. Propinatur cum ſolitis cardiacis æthiops mineralis, & ecce, æger poſtridiè minùs conclamatus eſſe cœpit. Hæc mutatio, quanquam vix ullius ſpei, impulit ad præſcribendum ſublimatum, more Van-Swietenio, cu-

jus

jus remedii virtus brevì eluxit. Senſim ſine ſenſu ſubſedit venter, detumuit cutis, & clauſa alvus eſt. Judicatio fiebat urinis, ad quantitatem potûs minimùm ſextuplis, ita ſupputandis ex jugi mictu, quo laſſus patiens enixè rogabat me, ut per tempus à præſcripto medicamine deſiſterem. Bubo ſuppuratus, mundatus, optimâ cicatrice coaluit. Sic æger recreatus è morbo eſt; & à Lacticiniis vires recepit. (1)

Quæ impræſentiarum de alvi fluxi-

(1) Novi, quem Diarrhœa ultrà anni ſpatium tenebat; irritis millenis, Monspelium ille petiit, ubi reſtitutus eſt frictionibus mercurialibus à celeberrimo *D. Fizes* ſuaſis. Sola mali obſtinatio adhibendi Mercurii admonuerat; cæterùm nihil venerei ſubeſſe videbatur.

fluxibus, per transſennam dicta ſunto de militum febribus hecticis, ſyphiliticis, ſtrumoſis, ſcorbuticis, arthriticis, hypochondriacis, aliiſque ſpeciebus, (1) quarum procatarſis, aut ætiologia

(1) *Sydenh. Bagliv. Morton. Gaub. Thom. Simſon. Gorter. Muſgrav.* cupiverunt, morbos redigi in claſſes, genera, ſpecies, ſuis ſingula characteriſmis interſtincta, ut inde ritè eruerentur indicationes. Vota horum probè explet *Noſologia methodica*, annò 1763. tribus tomis edita, immortale, & nunquam ſatis legendum opus viri, qui hodie Theoriæ lumen. *Plures morbos individuos*, inquit pag. 301. tom. 2. *ratione ordinis, typi, exitûs, & ſymptomàtum conſtantium ſibi ſimiles eſſe in quovis genere, non dubito; adeóque eorum ſpecies deſcribi, inter magna artis medicæ deſiderata repono.*

logia Medico ſatis pateſcere vix poteſt. In gratiam corrigendi ſanguinis, & lymphæ, adhibentur apozemata diluentia, attemperantia, refrigerantia, remedia mucilaginoſa, farinacea, lacticinia; ſeriò ſtudetur tollendis obſtructionibus, reparando vaſorum tono, reficiendæ chyloſi, redintegrandis viſcerum muniis; ſed opera luditur, omni medelæ obſiſtit febricula, gliſcit clanculùm hujus fomes, nec extinguitur; miles hecticus ſqualet in Noſocomio per integros menſes; ſuo lectulo demùm, ſuo regimini, ſuis remediis aſſueſcit cum quadam animi blandiente ſatisfactione, & immutabili ſuâ ſorte quaſi contentus jacet, donec atrophiâ conſumptus placidè expiret. Sic *REGUM AMATISSIMO* non unus rapitur homo, Medicis amarè ingementibus, quòd con-

contrà tale infortunium proprio marte nihil poſſint, nec penès illorum zelum ſit, efficere, ut caſtrenſis praxis minùs ad ſymptomata convertatur, quàm vulgò ſolet, & ut religioſo morbi cujusvis examini tantum detur temporis, quantum cauſæ primordialis notio requirit.

Ponamus, febrem phtyſicam eſſe à puris metaſtaſi, qualem recenſet Mortonus cap. VIII. de Chirurgo, qui, fiſtulâ ani ſpontè cicatriſatâ, illicò dyspnœâ, & tuſſi corripiebatur; aut qualem alibi legere eſt de adoleſcente, qui phtyſeos ſentiebat ſymptomata, quoties ulcus cruris ſiccabatur. Hìc ad quid pulvilli, & guttulæ? ad quid lac, & balſamum? debet percallere Medicus, fontem mali talem eſſe, ut non areſcat, niſi fiſtula, vel ulcus

humeſcat, aut ſaltem, niſi factus fonticulus excretionem ulceroſam ſuppleat. Similiter, ſi intùs pulſa ſcabies pulmoni nocet, & tabem parit, incraſſantium moleculæ quidem obvolvent, ſopient materiem morboſam; non autem locus ſanationi erit, niſi ſcabies, repetitâ priori viâ, iterum in cute effloreſcat; quod obtinebitur juſſu, ut ægrotans ſcabioſi induſium, non lotum, geſtet. *Illum rectè curaturum inquiunt, quem primæ origo cauſæ non fefellerit.* (1) Tametſi verò hujus cauſæ diagnoſis obſcura maneat apud copias, nec in Noſodochiis poſſibile ſit, longâ percunctatione principia morboſa quaſi exſcalpere, & in ſingulo individuo ita evolvere res anamneſticas, atque om-

(1) Cels. in præfat. lib. I. pag. 5.

omnes prophaſes, ut abſconditus mali fomes tandem perſpicuè comperiatur, non reticendum tamen eſt, clinicos ſæpenumerò ictu oculi deprehendere illud peculiare abſconditum, quo ſublato tollitur morbus; nimirùm quotidianus uſus apud tot ægros ita acuit viſum, ut interdum à ſolo aſpectu de therapeiâ edoceamur, & remediis in ægroti habitu perlectis, ad hoc vel illud agendum, quaſi inſtinctu quodam permoveamur. Quid autem ſit is inſtinctus, & quomodò inde fluant fortunatiſſimæ indicationes, experiri quilibet exercitatus, eloqui nemo poteſt.

Jam diu ſcitur, ad quid erudiat corporum præfatis morbis extinctorum obſervatio anatomica; hæc verò in arte vix nos ſagaciores reddit, nec multum

lucis fœneratur ad rimandas, eruendas, & velut acu tangendas illas caufas, quibus reverà fit morbus; fiquidem horrenda labes in emortuis vifceribus cernenda aut morbi, mortifque effectus potiùs, quàm caufa eft, aut his in circumftantiis *anima morbi*, cui deftruendæ incumbere debebat medens, *confiftit in minimo, quod cultrum anatomicum*, oculorumque noftrorum obtutum *eludit*. (1) Lubet tamen, aliquot cadavera paucis perftringere.

Miles è fynocho putri convalefcens, expletâ gulâ, incidit in Diarrhœam, hypecacuanhæ, rhabarbarinis, confortantibus, opiaticis, cardiacis immorigeram. Tri-

(1) Bagliv. pag 91.

Tribus poſt ſeptimanis colliquatus periit. Moriturus adeò dolebat ventre, ut vel leviter tactus altâ voce ejularet; pulſum habebat parvum, celerem, inæqualem, ſpirabat facilè cum tuſſi, ut ut ferinâ. Gangrænæ in inteſtinis æqua ſanè ſuſpicio fuit; verùm, aperto abdomine, integerrima apparuêre viſcera, præter ileum, & colum, quæ hinc inde rufis maculis perfuſa erant. Totus pulmo ſphacelo ita fœtebat, ut nihil magis.

Alter miles, exantlatâ Dyſenteriâ, patitur recidivam, & tandem lienteriâ occumbit. Abdomen patuit horrendum viſu; contentæ partes ſubfuſcâ lymphâ, veluti collâ, conglutinabantur; peritonæum putre, ac corruptum erat, epiploë fuſum, inſtar fœtidiſſimi liquaminis, æquè puti-

dus, & nigricans inteſtinalis tubus, hepar ſcirrhoſis concretionibus, multíſque abſceſſulis inquinatum; amoto ſterno, conſpeximus thoracem, livente ſero oppletum, pulmonem ſiniſtrum ad voluminis ſui tertiam partem redactum, cyſtidem demùm manu diſſectoris inopinò ruptam, quæ pus effundebat, pectoris cavum vix non exſuperans. His ſpectatis, reminiſcebamur, quòd ægrotus, toto morbi decurſu, molle, ac indolens ſervârit abdomen, quòd ſub finem tuſſierit multùm, ſed liberè ſpiritum traxerit.

Luſit nos tertius, quem etiam Diarrhœa colliquativa peremerat. Diſſectio nihil oculis ſubjecit, præter ſcirrhulos aliquot in meſaræo, & pauciores maculas ſcarlatinas in inteſtinis craſſis;

pul-

pulmo autem undequaque putridus, & cum pleurâ cohærens erat, etiamsi in ægroto nec tussis, nec laboriosus anteà spiritus deprehendi potuerit.

Sciendi cupidi, quousque extispices hallucinaremur, (1) Scalpello subdidimus quartum & quintum, quibus, paulò ante obitum, tussis fuerat indomita, spiratio cita, altáque, abdomen expansum, renitens, ac dolens. In his verò, quam auspicabamur.

(1) Dn. Hales fatetur candidè, se hallucinatum esse, cùm, post instituta experimenta, conjicere voluerit circà res, quas manus & oculi attingebant. Cur ergo mirum, si semeiotice, & anatome non semper edoceant nos, quid in corporis penetrali factum sit?

mur, gangrænam tum pulmonum, tum inteſtinorum, deteximus.

Commemorata Autopſia, licèt, primo oculi ictu, pugnare videatur cum ſemiologiæ regulis, paululùm tamen attendenti nullatenùs miranda, nec nova erit; In primo enim cadavere ex rufis inteſtinorum maculis cognita eſt ſedes inflammationis, ac doloris. Ex pulmonum ſphacelo innotuit antecedens in vaſis *Ruyſchianis* ſtaſis, qualis eſſe quidem poteſt ſine notabili pectoris anguſtiâ, non ſine tuſſi. In altero cadavere viſcera horridè deſtructa ſignificant, genitum eſſe ſphacelum, quin phlogodea tenſio, quin dolor (1) præceſſerit, quod non


(1) Cùm de vitæ periculo admoneretur

non rarò accidit ; ſiquidem neceſſe eſt, partes ſolidas, quas putrefacta liquida jugiter alluunt, alteratum, & corruptum iri ſolâ maceratione ; ſcitur prætereà, fluido corrupto, lentâ & quaſi ſurdâ ſtaſi, in canalibus hærente, fieri poſſe gangrænam citrà fibrarum dolorificam diſtenſionem. repertum in thorace ſerum partim exſtillârat è vaſis emortuis, & quod effuſum jam fuerat in homine vivente, ſatis laceſſerat, ad

retur cereviſiæ Coctor, reſpondit, ſe nullâ corporis parte dolere, neque unquam anteà doluiſſe ; reſpuit idcircò medicamina, &, quin dolorem ſenſerit, è vitâ migravit. In Cadavere viſa ſunt omnia viſcera corruptiſſima, puri innatantia, & præ fœtore luſtratu impoſſibilia. *Vide Obſerv. Schenckii à Graffenberg libr. III. pag. 995.*

ad ciendam tuſſim, non ſatis, ad obſtandum pulmonis diaſtoli; adfuit idcircò tuſſis, abfuit dyspnœa. Qui prodiit abſceſſus, enaſcebatur clandeſtinè, nullâ partâ moleſtiâ, veluti ſæpè fit in viſceribus parenchymatis, ſenſu hebete, & obtuſo præditis. Siniſter pulmonum lobus mole minutus fuit, quin ægrè admodùm reſpirârit patiens, quia ſiniſtrum ſupplebat lobus dexter; ſic videmus nonnunquam phtyſicorum pulmones magnâ ex parte erodi, depaſci, nec inde ſpiritum ſummoperè occludi. Miraremur (viſo tertio corpore) quòd ægrotus, tam malè affecto pulmone, nec tuſſierit, nec laboriosè animam duxerit, niſi liqueret, pleriſque morientibus momentaneò fieri pulmonum gangrænam; cùm enim omnes emoriamur peripneumonici, id eſt,
cùm

cùm in agone pulmones infarciantur ſanguine non ampliùs protruſo, quid obſtat, quin infarctus iſte apud ſubjecta, quorum putris jam eſt fluidorum maſſa, laxúſque, & facilè diſſolubilis ſolidorum textus, in gangrænam abeat tam citò, ut cum morte luctanti homini nec ſufficiens vis ad tuſſiendum, nec ad anhelandum notabile tempus ſuperſit.



Cap. III.

De

Peripneumonia, & Pleuritide.

NOn minùs fluidâ alvo, caſtris inſidioſæ ſunt multiplices pectoris inflammationes, in quibus Medici potiſſimùm deſudant circà hyemis initia, ſi co-

copiæ ſeriùs hybernatum eunt; & circà ver, ſi citiùs ad bellum conſurgunt; minùs autem jugulat ipſa horúmce morborum indoles, quàm neglecta in mali incunabulis therapeia; vel enim igniculus ſinitur gliſcere, donec deflagret, id eſt, ſpernitur malum, dum ingruit; tuſſit, horripilat, calet, anhelat miles, (1) nec ſui curam gerit; vult ſaxeus, ferreúſque eſſe, & medelam non quærere priùs, quàm ſymptomata

(1) Tuſſis, horripilatio, ſenſus interni caloris, levis Dyspnœa cum coryza, proſtratus appetitus, ſunt totidem morbi invaſuri præludia; quorum incuriam fatentur ipſi ægri, ad ejuſmodi levidenſia obdureſcentes. Subitò evolvi morbum, & velut è cœlo hominem percuti, in caſtris rariùs obſervatur, niſi peculiaris ſubſit epidemia.

ta cogant; vel talis eſt rerum bellicarum facies, ut ægrotis præſtò eſſe, & ocyùs opitulari nullo pacto liceat. Acerbè angor, quoties memini exercitûs noſtri ex Hannovera reducis menſe Martio anni 1758. dùm miles, aëris, & itineris injurias diu noctùque paſſus, meherclè non potuit non ægreſcere. Complures pleuritide, aut peripneumoniâ correpti, per totum viæ ſpatium juſculis, pharmacis, & ipſiſſimâ aquâ orbati, Weſaliam attigerunt ſeptimo, octavo, nonóve morbi die, cùm non ampliùs corpus, ſed egreſſura anima medicinam poſtularet: Non expulſa enim, ſed magis magíſque congeſta ſaburra putrefecerat humorum maſſam, ex potulentorum defectu jam ſuâpte alkaleſcentem; redundans ſanguis, tempeſtivè non miſſus, per calorem, & diluentium inopiam inſpiſ-

ſpiſſatus, inflammaverat pulmonem totum, pleuram totam; infarctu exporrecto, laborabant jam & diaphragma, & hepar, & meſenterium. Hìc quis *contrà torrentem?* ſtaſis erat irreſolubilis, atonia inſuperabilis; infeliciſſimos ægros certa manebat gangræna, minùs infelices abſceſſus, aut ſcirrhus, ferè omnes vel cita, vel lenta mors.

Qui obſtare poterant principiis, & arti ſine mora tradi, ſatis proſperè reſtituebantur. Ineffabile autem eſt, quàm perſpicaciter, quàm circumſpectè, & religiosè hìc clinico agendum ſit; ſiquidem maximè fallaces (1) ſunt

(1) *O quantùm difficile eſt, curare morbos Pulmonum! ô quantò difficilius, eoſdem cognoſcere! fallunt vel peritiſſimos, ac ipſos medicinæ principes.* Bagliv. pag. 34.

pectoris morbi, sæpiùs medicinæ illudunt, & vincunt ægrum, cùm victa esse symptomata, juratus crederes. *Etsi sis in tuto, noli esse securus.* (1) Nullibi hoc verius est, quàm apud ejusmodi ægrotantes, quos venæsectiuncula aut salvat, aut præcipitat, quósque ferè in vado positos vel minima mutatio è medio tollit.

Curaturo in genere examinanda tria sunt, 1°. num morbus exasperetur febre putridâ, (2) & qua-

---

(1) S. Bernard.

(2) Febris putridæ, impuræ signa sunt *pulsus raro fortis & vehemens, sed sæpè mollis, obscurus, inæqualis, inconstantia, & in puris* (febribus) *non obvia symptomata, narium stillæ, ephidroses, cardialgiæ, nauseæ, vertigines, anxietates, sanguis in patella*

quali, nec ne; num inflammatio ſit putredinis ſymptoma, num non ſit; proindéque num in purgantibus, & antiſepticis magis, quàm in venæſectionibus ponenda ſpes.

2°. Num morbus ſit nothus, catarrhoſus, non autem à *ſanguine ſincero, inflammato*; idcircò an parcè trahendus ſit ſanguis, an liberaliter; utrùm, venâ ſemel bisve pertuſâ, ſtatim conveniat pectorale incidens, catharticum revellens, emeticum diſcutiens lymphaticam ſtaſin.

Utrùm

---

patellâ extractus corio albo deſtitutus, ſero flavo, virideſcente dilutus, fœtor corporis, excretionum, color pallidus faciei, ſpurcities linguæ &c. D. de Sauvag. claſſ. morb. tom. 1. pag. 344.

30. Utrùm inflammatio (fin vera) caracteris ſit eryſipelatodei, num phlegmonodei; conſequenter an refrigerantia, incraſſantia, condenſantia , antiphlogiſtica quadrent, num verò ea remedia, quæ ſpiſſum phlegmonodeum, nec ſiti, nec tanto ardore ſtipatum attenuent, & reſolvant.

Horumce diſtinctio viam curativam aperit, & inſtar nauticæ acûs in morbi procellis dirigit nos, atque edocet, quod eſſe debeat genus medicaminum, quæ ſpecies ptiſanæ, v. g. an decoctum leniter attenuans ex radic. gram. bardan. ſcorzoner. liquirit. herbis veronic. ſcabioſ. capill. ven. &c. an potiùs incraſſans ex radice alth. ex hordeo, Ficubus, paſſulis &c. Utrùm ex borrag. chærefol. lactuc. borrag. variis her-

bis nitroſis recentibus, addito oxymelle; & ſic de cæteris, quorum nihil reverà tam leviuſculum eſt, ut ſummi non fiat ponderis.

Circà venæſectiones in *verâ* pectoris inflammatione ita mediam tenui viam, ut cruorem nec avarâ, nec prodigâ traxerim manu. Commune mihi fuit, toties ſecare venam, quoties, ſtantibus viribus, orgaſmus inflammatorius id imperare videbatur; nec deterrebant me apparentes in initio ſudores, aut DiarrhϾ merè ſymptomaticæ, neque pulſus parvus, impeditus, ſpaſmorum, & reſiſtentiarum potiùs, quàm debilitatis (1) ſignum, nec

---

(1) In debilitate ejuſmodi apparente, ſeu in virium *oppreſſione*, ùt ajunt, venæſectio cardiacum eſt, quod hodiè vel Tyrones nôrunt.

etiam cruda ſputa, ut ut primis diebus copioſa; *ſæpiùs enim orificium à phlebotomo inciſum tracheæ vices ſubire cogitur*, (1) & tantùm abeſt, ut venæſectio ſemper ſiſtat expectorationem, ut econtrà ſæpenumerò hanc promoveat, quatenùs, minutâ ſanguinis mole, ea vaſis inducitur laxitas, quæ ad exſpuitionem requiritur. Neque enimverò expectorationi ita fidi debet, ut hæc pro prognoſeos, & curationis normâ ſtatuatur, qualis error non paucos contaminat, fanaticè adhærentes iis, quæ de ſputis flavis, bilioſis, albis, nigris, candidis, rufis, viridibus, rotundis, glutinoſis habent veterum libri, quæque omnia ſeu de ſputorum qualitate, ſeu de quanti-

(1) Sydenham. pag. 167.

tate agant, profectò tantam æstimationem non merentur, ut Medici mens illisce seriò insigi possit. Equidem spuere ægro bonum non est, nisi spuendo faciliùs spiret; nec eidem malum est, non spuere, nisi in quantum febris ac dyspnœa, cessantibus sputis, crescant; & esto, sit modica, sit copiosa excreatio, quid tum? sæpenumerò aut æquale periculum, aut æqua convalescentiæ spes manet; adeóque qualiscunque expectoratio sit, perinde est, modò in inflammatione, dolore, febre, & respiratione nulla mutatio fiat; falsissimúmque est, ægrotum sanatum iri, quia liberè sputat; sed vice versâ, sputat ille liberè, quia sanabitur, id est, quia febris mitescit, quia circulatio in pulmone liberior, pacatior, vasa laxiora, magis patula, & sputa dilutiora, mobiliorá-

que

que ſunt ; ſicut & neutiquam ideò moritur æger, quòd non exſpuat, ſed è contrario, id eſt, ſputa ſupprimuntur ab ipſis cauſis, quæ internecinæ ſunt, videlicet à ſummâ virium proſtratione, ab infarctu meatuum ad gangrænam tendente. Prætereà cùm motu critico foràs eliminetur id, quod morbum facit, rariſſimò evenit, ut pro verâ criſi habere debeamus ejecta ſputamina, quæ ipſius morbi, & temporis effectus ſunt, & à quibus morbus non eſt. (1) Dubio itaque errant tramite, qui his

(1) In Peripneumoniâ criſin præcipuè per ſputa fieri, novum quidem non eſt; ſed ſolâ hâc criſi ſolvi morbum, novum eſt. Sputa illa puriformia, ſpiſſa, inodora, griſeo-flava, quæ, finito morbo, interdùm per menſem ejiciuntur, non ſumi

his in morbis anacatharſi, tanquam lapidi lydio, adeò credunt, ut accuratè juxta hanc in medendo procedant, illicò mutantes remedia, mutatis ſputis. Culpandus autem præ cæteris maximè foret Medicus caſtrenſis (cui, ob viſendorum ægrorum multitudinem, rebus ponderoſiſſimis inhærendi, vix tempus eſt) ſi *de lanâ caprinâ contenderet*, nimirùm ſi magis intentus ille foret circumſtantiis, quæ ſputationem, quàm quæ febris morem, & reſpirationis negotium ſpectant, ab-

---

ſumi debent pro criticâ evacuatione morbum ſolvente; id enim quid conſectarium eſt, relaxatis coli pulmonalis vaſis excretoriis adſcribendum. Roborantibus cedunt hæc ſputa, nec eſt, cur Medicum terreant, & exulcerationem minentur.

abſit tamen à me, ut parvi omninò faciam, quæ circà expectorationem obſervantur; quippè non immemor ſum, quantùm interſit aliquandò, vias aëreas ſputorum materie liberari; nec me fugit, ſputa in pectoris morbis, velut excreta alvi in Dyſenteriis, ſigna eſſe; id ſolùm altè inculcatum velim, quòd deleterium nihil magis in praxi ſit, quàm ex metu, ne ſputa ceſſent, optimè indicatam venæſectionem, vel purgationem intermittere, & neglectis remediis eſſentialibus, in morbi cauſam directis, vaniſſima illa, & blandientia bechica ſuccenturiare.

Ut ad mittendum ſanguinem revocetur ſermo, monendum eſt, quòd ſi quinta & ſexta venæſectio, harúmque ultima in pe-

de facta, (1) non levent, rarissimum sit levari à septimâ, ideóque, si altiùs ascendat phlebotomiarum numerus, hunc potissimùm ægrotantium damno verti.

---

(1) Ad venam tali secandam non requiritur, ut adsint signa futuræ ad cerebrum metastasis. Brachiali quater, vel quinquies sine fructu incisâ, statim saphenam tundebam, tametsi nec delirium, nec capitis dolor fuerit. Quem inde experiebar mirandum effectum, ratione non assequar, donec caduca minùs sint, quæ de venæsectione revulsivâ, & derivativâ hactenùs statuunt. Quantum cruoris singulâ sectione educi debeat, nemo est, qui determinet; consultum est, exordiri à 10. circiter unciis, & gradatim posteà descendere; petit tamen sæpè symptomatum ratio, ut tertia sanguinis missio secundâ, & secunda amplior primâ sit.

ti. Mirari ſubit illos, qui cruoris horrendam mittunt quantitatem, habito ſolius pulſûs, & dyspnoeæ reſpectu, non attendentes ad luſum arteriæ, toties in die ſuos ictus mutantis, ut inde judicare minùs, quàm conjicere liceat; (1) non cogitantes, pulſationum vim eſſe in ratione compoſitâ ex duplicatâ magnitudinis ac frequentiæ conjunctim, ſeu ſupputari vim illam ex *ictuum cordis numero, collato cum magnitudine pulſuum*, (2) proindeque

---

(1) Nonne, ob pulsûs fallacem inconſtantiam, oporteret imitari artis parentes, qui, morborum febrilium vehementiam ex gradu caloris metiri conſueverant? vix ægrotans erat, cujus nudum pectus Hippocrates non manibus contrectaret, de calore judicaturus.

(2) *Boërhaav. Aph.* N° 679.

que vitalium virium impensam posse cum minori pulsu majorem esse, si frequentia pulsûs compensat, quod ex magnitudine deficit; non curantes, inquam, de anamnesticis, de morbi progressu, de imminente, & viribus indigente judicatione, *de symptomatum violentiâ hinc, & de ægroti debilitate inde, ad invicem trutinandis*; quorum examen profectò summi momenti est apud milites, qui, belli laboribus exhausti, sanguinei laticis jacturam non facilè ferunt, & inter quos reipsâ major delicatorum, atque infirmorum hominum numerus est, quàm vulgò creditur.

Paucula interjecturus de perspiratione, quam apud hos ægros externi ope caloris proritare, tam religiosum, & sanctum est,

non

non redicam, quod Neotericorum ore tritissimum: nempè ægrotantes sub stragulis gravatos, arctè inclusos, & ab Atmosphærâ externâ nimis tutos (1) pejùs sese habere, quàm qui ab aëre temperato paulisper afflantur; annotabo tantùm, quòd anno 1758. dum in Castello Wesa-

(1) Febricitantes in stragulis suffossos cohibere, excrementis squalidos, & fœtore suffocatos nec novis linteis, nec novâ aurâ refocillare, mos interficiendi est, nulli non cognitus, qui paulò saniùs de arte judicat. Homicida hæc praxis, licèt à medicinæ principibus ante medium sæculi confutata, & è Scholis primoribus hodiè ubique gentium expulsa, nihilominùs extrà Galliam exercetur adhuc ab aliquot Medicis, quos nosse tantùm me pudet, quantùm illorum meminisse erubesco.

Wesaliensi medebar, citior salus fuerit Peripneumonicis, qui sub tectis ligneis, (1) vento undique perflatis detinebantur, quàm quos tuguriorum (2) densi circumstabant muri. Cujus rei caussam fuisse refrigerium, & condensationem, quæ humoribus foris accedebant ventilatione, procul dubio est.

Quando adhibitis venæsectionibus, clysmatis, potu largo calidæ, haustibus alterantibus, laxantibus, evacuantibus, linimentis emollientibus, resolventibus, nihil decrescit morbi vis, & natura, aut torpens, aut symptomatum agmine irretita, nullatenùs monstrat, quæ teri possit

via,

(1) *Les Hangars.*
(2) *Les Casernes.*

viâ, arripienda potentiora ſunt, nimirùm veſicantia, quæ cutem erodant, *eóque impetum materiæ, quo pulmo vexatur, evocent;* (1) felix horum omen eſt, ubi ſputa deſinunt cum languentibus viribus, cum pulſu parvo & inæquali, cum ſpiritu multùm laborioſo, pectore velut conſtricto, & ſuffocato; ubi ſymptomaticè fluit alvus, ſine magnâ ſiti, ſine ardore, ſine diſſolutionis notâ; ubi talis inflammatio eſt, ut non eryſipelatodeum acre, ſed phlegmonodeum tenax, citrà orgaſmum, citrà peculiarem erethiſmum, oppugnandum venit.

Cognitâ morbi indole *ſpuriâ*, circà cantharides tam parum titubo, ut illáſce primis diebus imponi

(1) Cels. de Peripneum.

poni jubeam, de futuro decem post horis levamine persuasissimus; (1) curæ est, ut in Pleuritide loco dolenti applicentur, quia, humore sic foràs citato per brevissimam viam, mox tollitur dolor, moventur costæ liberiùs, respiratur faciliùs. In Peripneumoniâ autem malo, emplastrum suprà suras, aut crura poni, quia sic arte generatur pus, & fiunt velut abscessus critici, quales natura interdùm sponte efficit. *In vehementi, & periculosâ inflammatione pulmonum abscessus, qui in crura decumbunt, omnes ad salutem faciunt.* (2) Ubicunque

(1) In Nosodochio Wesaliensi annis 1757. & 1758. numerus Pleuriticorum, quibus Cantharides ponebantur, communiter ad septuaginta sese extulerat, omnésque, si non *jucundò*, saltem *tutò* & *citò* evadebant.

(2) *Hip. libr.* 3. *Progn. No.* 13.

verò locetur hócce topicum, modò tempestivè & accommodatè ad causam id fiat, certo certius est, nihil hoc penetrantius, nihil efficacius esse, ad ciendam crisin, & ægrum letho rapiendum. Quot Pleuriticos, vix non naufragos, in salutis portu collocârunt cantharidum ope *Bagliv. Sydenh. Freind. Pringl.* aliíque! prior monet, Pleuritides Romæ grassantes Catarrhosi genii esse ob ventos australes, Urbem afflare solitos; quocircà celebris vir toties laudat hoc in morbo vesicantia. Freind, hâc super re multò contractiùs, & absciſsiùs loquens, non enucleare gravatur circumstantias, quibus vesicatoria ritè competant. Pringleus videtur audere plus, quàm fas est; sanguine semel extracto, statim ea admovet, ferè nullâ tactus religione, neque sollicitus de morbi caractere;

quin imò ſuſpicans, inflammata inteſtina eſſe, medio ventri, hepar eſſe, dextro hypochondrio illa opponit, & profitetur, ſeſe nullum uſquam hâc è praxi ortum incommodum percepiſſe, id quod (pace expertiſſimi viri) vix ac ne vix quidem crediderimus. Etenim tametſi Cantharides, excitando ruborem in cute, ad exteriora provocent vim vaſorum ſyſtalticam, & extùs tendendo, quaſi detendant intùs; tametſi, novos ſpaſmos ciendo in ſuperficie, ſopire poſſint, qui in corporis profundo ſunt, & oborto extùs dolore vehementiore obſcurare dolorem, qui intùs eſt; (1) nihilominùs eaſdem ſtimulandi, accen-

(1) *E duobus doloribus ſimultaneis non in eodem loco obortis vehementior alterum obſcurat.* Hip. libr. 2. aph. 46.

accendendi, & dissolvendi vim minùs loco, cui imponuntur, quàm universæ corporis œconomiæ inferre, inter omnes constat; (1) unde nos, cùm veræ in-

(1) Inter omnes quoque constat, à vesicantibus sæpenumerò & calorem, & febrim minui, atque à Sydenhamo hæc remedia, ùt non calefacientia, ibi admitti, ubi alexipharmaca, ùt commoventia, ignémque igni addentia, à sapientissimo viro rejiciuntur. Illustris de Haen multotiès expertus, febrem ab epispasticis non modò non irritari, sed placari, persuasum quoque habet, minùs ab his incalescere ægros, quàm à vulgò datis misturis sudoriferis; verùm ait idem, *prodesse vesicantia, ubi vis vitæ debilior est, quàm ut morbum coquat.* Rat. medend. part. 8. pag. 168. Unde sequitur, prodesse illa,

inflammationis ratio esset, circà cantharides nunquam non meticulosi, ac dubii hæsimus, ægrúmque, ut ut graviter periclitantem, ab hoc remedio vindicavimus, quoties bona quædam signa fuêre, quæ maximum metum compensarent spe, & alterutram infirmi sortem, velut in bilance, æquilibrem tenerent; hìc sanè *patiens morbi tolerantia periculosis remediis anteponenda erat, & qui spernebat scrupulos, in scrupos incidebat.* Quòd si autem, progrediente morbo, & om-

---

illa, quòd vim vitæ augeant, id est, quòd stimulent, & calefaciant; manet adeóque in confesso, hæc topica absolutè calefacere, etiamsi per accidens calorem minuant, vel spissum & tenax inflammatorium incidendo, vel foris provocando humorem, interni caloris causam.

omnibus in pejus ruentibus, ita in lubrico & augusto res esset, ut ægrotus evidenter in mortem inclinârit, licebat cum temeritate quâdam ad vesicatoria recurrere, quantumvis orgasmus & ardor per totum morbi cursum illa contràindicârint; in tanto enim discrimine, *qui secundis aliquandò frustrà curatus est, contrariis restituitur sæpè..... & quos ratio non restituit, temeritas adjuvat.* (1) Sin etiam hoc genus remedii, in extremis indistinctè adhibitum, indubitata quorumdam funera accelerârit, quid tum? non remordet conscientia; siquidem physicè certi sumus, ejus ope aliquos velut revixisse; & sanè malimus, ex tribus deploratis duos, horulâ maturiùs,

(1) *Cels. in præfat.*

cum cantharidibus mori, quàm ſine catharidibus omnes tres in-interire, licèt horâ ſeriùs.

Solemne eſt, veſicantium operam ſecundare remediis Catapotiis, qualia ſunt Kermes minerale, ùt alterans datum in vehiculo cardiaco, infuſum diapnoicum ex herbis vulnerariis, varia decocta tonico-bechica, quorum omnium unus finis eſt. Sed ſi patiens non adeò viribus dejicitur, & aliqualis timor irritandi eſt, oportet inquirere, an remedia præſcribi debeant demulcentia, & antiphlogiſtica, quæ cantharidum ſtimulos obtundant, & naſcendo ab iis orgaſmo obviam eant. Hoc in caſu proderit camphora, dummodò non nimis diſſolvat, ubi in ſudorem proclivitas eſt; aliquot hujus grana cum duplo nitri ſolebamus exhibe-

hibere omni quadrihorio, addendo, prout libuit, pauxillum pulveris quinquinæ. Nec abs re esse videretur, camphoram ipsi emplastro vesicanti admiscere, utpote hæc cum cantharidum particulis sic amalgamata vel nimiam emplastri vim infringere, vel unà cum illis particulis immediatè ad sanguinem translata nervorum motus peculiari fragrantiâ suâ compescere, & tantum boni præstare posset, quantùm per os intùs suscepta.

Quod attinet simplicissimos illos linctus ex oleo amygdalarum, & syrupis confectos, ad quos statim transitus est, tum & nugivendulas tot receptulas potiuncularum, tabellarum, à rudioribus in oris potiùs, quàm in pectoris lenocinium præscriptas, ex dictis jam patet, quantùm ista

faſtidiamus, non inſcii, innocuis ejuſmodi lambitivis, non re ſed nomine tenùs bechicis, (1) potiſſimùm operam ludi, imò horúmce effectum, ſi quis eſt, nonnunquam ægrotis detrimento eſſe, in quantum illud acre, pulmonem ſollicitans, debito citiùs inviſcari, & tuſſis, ad expectoratio-

(1) Non planè negaverimus, ſimplices illos linctus fieri poſſe parumper bechicos, cùm inſpiratus aër quaſdam oleoſas moleculas ab his in ore volutatis abripiat, & intrà laryngem vehat. Idcircò id genus remediorum, ſi non ùt prorsùs inutile, ſaltem ùt ſupervacaneum quid, ejicimus ex Noſocomiis, ubi veriora bechica, ſi relaxandum, ſunt aquoſa calida largiter epota, & venæſectiones; ſi roborandum, atque ſtimulandum, ſunt cardiaca, & veſicatoria.

tionem necessariò instituta, intempestivè sisti potest. Aliter sentimus de eclegmatis magis compositis, in solvendi, attenuandi, & laxandi gratiam datis, ex mannâ, oleo, syrupo, oxymelle scillitico, sapone &c., additis interdum Kermes minerali, & tartaro stibiato, quorum miscela sputationem, sudorem, mictum, excreta alvi aptissimè movet. Nec animus est improbare looch, aut julepos, quibus adjicitur laudanum liquidum; quippè non rarò, cò omnis dirigendus labor est, ut somnus concilietur; sic si delirium phreniticum subsit cum insigni orgasmo, & cutis urat, si sicca & ferox tussis cum concussu pectoris violentiore, profectò nihil requie salutarius est, nihil, somno magis, cuti inducit mollitiem, & circulum in pulmone juvat. Ab usitatissimo sper-

mate ceti penitùs abstinere, optimum factu foret; est enim sæpè subrancidum, semper nauseosum, succo gastrico non dissolvitur, gravat ventriculum, proindéque diaphragma, & pectus minùs benè afficiendo, improsperè cedit, nec non tussim *stomachalem* ciet. Ad rem multò accommodatiora sunt gummi arabicum, tragacantha, aliáque, quibus vel incrassandi, & leniendi, vel solvendi, & incidendi virtus inesse poterit.

Accidit nonnunquam, ab his pectoris morbis acidula exigi, cùm scilicet liquores ad alkali putrefactivum vergant; videre id est in inflammationibus erysipelatosis, & illísce, quæ synochi putris soboles sunt. Hìc acidis nihil amicius pectori est; cùm enim tussim excitet sanguis acer rarefactus, & nimis

nimis calidus, tenera pulmonum capillamenta offendens, ſequitur, tuſſim domari à potu acidulo, qui condenſat, qui refrigerat, qui motus humorum inteſtinos pacat, qui fauces urentes blandè humectat, & emollit. Seligebamus verò acida leniora, ne adſtrictio fieret, qualia ſunt oxycratum mellitum, limonata, decoctum hordei ſpiritu nitri dulci prægnans, dilutum tamarindinaceum, ſerum lactis multo cremore tartari factum.

Longius foret dicere, quâ ratione in ſuppuratum eat inflammatio, ſive ex pulmonum, ſive ex coſtarum parte: quomodò hoc noſcatur fieri ex febris diuturnitate, & advenientibus demùm horroribus anomalis, ac ſudatiunculis, cum ſymptomatum remiſſione, nullâ præviâ

crisi: quomodò id liqueat factum jam esse ex febris recrudescentiâ, & persistente spiritu difficili, ex nocturnis sudoribus, genis rubris, oculis cavis, ex appetitu redeunte, quin redeant vires: puris an exspuitio sit, an retentio in pulmone, aut inclusio in thorace, natâ vomicâ, vel nato empyemate; quæ tandem in secundariis his malis sit indicatio curativa, & quod opus, quis labor, talia curandi in Zenodochiis, tum ob aërem ægrorum coacervatione infectum, tum ob repentinas mutationes loci, & complura alia, quæ praxin circumveniunt, incommoda; longius, inquam, & intolerantius foret hæc repetere, quæ nemo non condidicit. Addemus duntaxat, quod cavendum sit Medico, ne, si apud aliquot Peripneumonicos, de quibus planè conclamatum erat

erat, fiat inexſpectata mutatio in melius (1) ope veſicantium, cardiacorum, antiſepticorum, ne ille protinùs ſpem concipiat, multò minùs ægrotantem ſuum, abacto periculo, ſalvum clamet; hîc enim *qui vitant Charybdim, in Scyllam incidunt*, & quos non gangræna ſtatim, hos deinceps pus occidit, pauciſſimis exceptis.

In curandis his affectionibus quo pede itum ſit à Weſtphalicis, non credit, niſi qui oculis viderit. Petebar conſilium daturus aliquot Viris in agone detentis, quo-

(1) *His, quæ non ex ratione levant, non oportet fidere.... plurima enim talia ſtabilia non ſunt, neque multùm durare, ac permanere conſueverunt.* Hip. libr. 1. epid. ſect. 2. aph. 27.

quorum pleuro-peripneumonicus annos 24. circiter natus erat. Morbus octo excurrerat dies, & ad ultima jam ventum esse, testabantur pulsus exilis, ac celer, spiratio cita, & convulsiva, abdomen expansum, suppressa sputa, genæ rubro-lividæ, oculi fixi, manus fimbrias diducentes, rhonchus &c. interroganti, quibus armis pugnatum fuerit contrà morbum, dicebatur mihi, bis sectam fuisse venam, dolens latus diligenter fotum esse spiritu vini camphorato, decoctum graminis, liquiritiæ, & passularum potâsse ægrum, clysmata verò nulla, nulla evacuantia usui fuisse. Mox monstrabatur suprà mensulam mixtura Diaphoretica, & eclegma *incisivo-incrassans*: alterutrius duo cochlearia æger in horas hauserat; obtulerunt deinde pultamen ex vino & farinâ con-


conflatum, cujus identidem buccea, me præſente, ſorbebatur, unà cum ampullâ vino rhenano plenâ, quam moriens repetitis hauſtulis ſiccare debuit, ſic enim non timor erat, ne merâ aquâ, meríſque juſculis ſubmerſæ interirent vires. His perſpectis, affinibus, qui convenerant multâ deluſi ſpe, conſolatorius dixi, quòd ægrotus ultimúm traheret ſpiritum, nihilque in arte eſſet remedii, nec quid in me conſilii. Ne tamen otioſus viderer, præſcripſi duo grana tartari emetici, in aquâ florum naphæ ſorbenda, juſsíque, ut extempìò ponerentur veſicatoria, & paucis poſt horis patiens noſter animam reddidit.

Quid de adminiſtrata hoc in caſu Therapeia cenſendum ſit, nemo neſcit, qui vel medicinæ limina ſalutavit; abſit tamen à me diſ-

discendi cupido, ut aliorum artem nimis acriter reprehendam; mutatio Climatum mutat rerum effectus, mutat morbos, & medelam; *differunt* (1) *pro naturâ locorum genera medicinæ, & aliud est opus Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia,* aliud in Germaniâ. Interim si Celsi ore id loquar, obsequiosi, & indulgentis adeò animi non sum, ut Assensorem me habeat Baglivus, qui, *cùm unicuique Regioni sua sit medicina, sua methodus, neminem damnat, nemini medicinam suam indigenam in usum revocandam dissuadet.*

---

(1) *Cels. in præfat.*



Cap.



Cap. IV.
De
Febre Malignâ.

CAstra infici febribus, quas ob complicati morbi sævitiam perperàm malignas (1) vocant, non rarum est; ferè rarius autem est, tales morbos suâpte naturâ existere, quàm tales fieri ab ipsissimâ medicatione, quæ, remediis contrariis, aut nimiis symptomata irritando, nedùm compescendo, leve malum in gravius vertit. Quanquam id accidere soleat Chirurgis, queis febricitantium curam committere, in-

K ter-

(1) *Hoc imaginarium malignitatis nomen imperitia Medicorum peperit, petulantia vulgi fovet.* Bagl. pag. 51.

terdum triſtis neceſſitas eſt, fateri tamen cogor, hoc errore immunes non eſſe Medicos propter inſcrutabiles naturæ fines, quorum Labyrinthus nonnunquam Viros in praxi peritiſſimos ludificat, & in ancipiti ponit. *Quæ medendi cauſâ reperta ſunt, nonnunquam in pejus aliquibus vertunt; neque id evitare humana imbecillitas in tantâ varietate corporum poteſt.* (1) Illi verò Medici, illi potiſſimùm hìc in culpam incidunt, qui præcipiti nimis animo medicinam faciunt, plùs æquo timidi, ne remediorum remorâ, & conceſſis quaſi induciis, morbo invaleſcendi tempus detur, neque memores eò felicioris, quò patientioris Sydenhami, (2) qui

(1) Cels. de indicat. mortis pag. 57.
(2) *Modò ne plùs ſatis properemus, quâ*

qui perinde faciens, ac si specularetur, ægris suis primùm visis nil præter ptisanam aut clysterem præscribebat, donec morbi indolem probiùs callens potuerit securò ad efficaciora confugere, & uti veris remediis *ex causâ, non ex conjecturâ assumptis.* (1) Quemadmodùm, ut Plinii voces praxi medicæ adnectam, *non minùs interdum oratorium est tacere, quàm dicere,* (2) sic aliquandò non minùs curativum est, abjicere, quàm capessere remedia, *optimáque medicina est, nullâ medicinâ uti.* (3) fieri potest

quâ quidem festinatione nihil ego quidquam exitialiùs esse autumo, nec re ullâ aliâ febricitantium plus vitâ spoliari. Sydenh. Anacephal. pag. 158.

(1) Plin. hist. nat. lib. 22. cap. 24.

(2) Plin. jun. lib. 7. pag. 126.

(3) Cels.

teſt, & reverà fit, ut, quò avidiùs curaturi, eò celeriùs necaturi ſimus; qui nimiô plùs ſolliciti contrà morbos ſeſe pharmacis armant, neſciunt, quoties natura vincat ſola, (1) quoties occumbat medicaminibus ſtipata. Sin *occaſio præceps eſt*, recordari oportet, *à difficili judicio* offuſcari ita poſſe res faciendas, ut conſultius multò ſit, primo ſaltem die deliberabundum ſpectatorem agere, quàm immatura medicamina

---

(1) Apud milites, quorum plerique ætate florent, non mirum eſt, ſi interdum *doctâ plus valet arte malum*, atque natura proprio marte ſatis poteſt; ut aliquando mutatio in melius, ſponte & ſine medicaminum adminiculo adventura, patienter ſit exſpectanda.

Aretæus, Medico per tempus recedente, multos morbos ſanari aſſerit.

mina hæſitanter præſtituere. *Nec enim veſtigio temporis ſciri poteſt, quali potiſſimùm evacuatione natura egeat ;* (1) *nec ſtatim credi poteſt venis fortè celerioribus, fallaciſſimæ rei, nec calori æquè fallaci.* (2)

Ut autem pateſcat, quo pacto benigna, & ſimplex ægrotatio arte exacerbetur, & periculis irretiatur, exemplo ſit miles laborans, viribus qualicunque modo fractis. Conqueritur is de dolore gravativo, de calore, de agrypniâ. Quid fit ? manus admovetur carpo, tangitur pulſus febrilis, mittitur ſanguis. Paulò poſt creſcunt mala, & cùm perſtet vis pul-

(1) Aſclepiad. lib. juxtà exempl. in Auſtr. pag. 14.
(2) Cels. lib. 3. cap. 6.

pulsûs, iterum mittitur, qui sini debuisset, sanguis. Quid tum? pergunt omnia ingravescere, virium penus exhauritur planè, collabuntur vasa, augentur stases, arteria deficit, æger exinanitus anhelat, fatiscit. Id præsertim observare est in ærumnosis illis febribus, Carcerum & Nosodochiorum propriis; (1) qui hìc venam secant, extenuant pulsum, accient delirium; in febribus quoque *nervosis* Huxamii, si ratione pulsantis arteriæ instituitur phlebotomia, intereà dum refocillandum est, exaggeratur morbus, vires vitales concidunt, fit mors convulsiva. Vidi ego implacabili narium hæmorrhagiæ succedere syncopen, & postridiè accendi febrem cum plenissimo pulsu

(1) *Fievres de prison, fievres d'hopital.*

ſu; condenſatis fluidis, & pacato nervorum motu, mox convaluit patiens, qui 36. annorum erat. Si ad pulſûs normam phlebotomâſſem, ſi ſanguinis rivulos, quibus flamma febrilis, ut ita dicam, extingui debuit, ſuſtuliſſem, quid miſero homini jamjam exſangui contigiſſet?

Alter miles circà præcordia ſurdè dolet, & animo linquitur; pulſus depreſſus delitelcit, & quaſi altè ſubmerſus eſt; in ventre borborygmi ſunt, amareſcit os, lingua interim madet, ac rubet, deeſt ſitis, nec adeò urit calor, ſicca tamen & aſpera cutis eſt. Medicus præſentem ſaburram, & vires *oppreſſas* ſe veluti acu tetigiſſe hallucinans, extemplò dat vomitorium, ùt ſi morbus foret *ſyncopalis, repletionalis* Foreſti. Ægrotus multum bilis ejicit ma-

ne, & omnia inflammantur ſerò, exacerbatio ſumma eſt, dolor, anteà levis, fit acutiſſimus, nihil aſſumi jam poteſt, quin rejiciatur ore. Cur? deprimebatur pulſus à ſpaſmis; dolor ſurdus, ſeu moleſta illa ſenſatio naſcebatur à phlogoſi; non ſtimulo, ſed fræno opus erat. Tot malorum ſatellitium accerſivit irritatio ab emetico facta.

Patitur alius dolorem lateris punctorium cum pulſu molli, ac crebro; bis phlebotomatur, mannæ unciis duâbus cum grano tartari ſtib. expurgatur: Mox minor dolor, reſpiratio expeditior, mollior atque planior venter eſt; meliores omninò res videntur, ſic factis evacuationibus; ſed propediem exacuuntur & febris & dolor; tunditur vena tertiò; Mane ægrotans obſcurè delirat, ſurgit, in-

induit veſtes, ſanum ſe credit, non dolet, non tuſſit, pulſum habet ferè naturalem, linguam minùs ſordidam; veſpere agitatur furore, convulſionibus, & paucis poſt horis phreniticus, aut paraphreniticus decedit. (1) Novi Medicos, quibus id infortunii accidit. Ecquis putaret, ex granulo ſtibii pendere aliquoties hominis interitum, non interituri, ſi omiſſâ purgatione, venæſectio quarta è brachio, & quinta è pede fieret, ſi clyſmata, & ſolùm paregorica darentur.

Tertius, cui delicatula conſti-

(1) Docet Author Prorrheticorum, quòd, ſi *dolor lateris pleuritico ſine ratione ſufficiente evaneſcat, delirium & mors præſtò ſint.* Ibidem libr. 2. text. 17. quòd *pernicioſa ſine ratione levantia mortem indicent.*

tutio, fibra tenera, & exilis est, febricitat parum, & derepentè insultu hypochondriaco correptus videtur periclitari; frigent enim extrema, arteriæ vix feriunt, anxius & suspiriosus æger in lecto se volutat: Ponuntur cantharides, injiciuntur irritantia ori & ano; Quid inde? disparet cordis deliquium, sed subreptitat tacita inflammatio visceris nobilis, algorem excipit ardor, anxietatem phrenitis, fit vel *leipyria*, vel *causus*. En rursus mala ab irritatione! nonne similes leipothymiæ, aut febres in initio syncopales, algidæ, ab ipsius cordis spasmo natæ, in lethalem asphyxiam converti possunt? quâ ratione? præscribendo stimulans cardiacum, cùm ipsissimum opium, aliudve antispasmodicum relaxans, cujuscunque tituli sit, quadraret; quippe cùm præternaturalis systo-
les

les videatur morbum facere, relaxandi, non ad ulteriorem contractionem instigandi cordis thalami sunt. Quòd si quis inde colligat, & concludat, præscribendum aliquoties esse opium in Asphyxiâ spasmodicâ, qualis v. g. à pathemate animi fit, respondeo, negare me non posse consequentiam; id tamen mihimet non arrogo, ut hócce in casu opium suadere alicui velim; quærere tantummodò licebit, num Medicum non maneat aliqualis conscientiæ scrupulus, si ejusmodi asphyxiam, exhaustis omnibus spirituosis stimulantibus, finiat mors? in Syncope hystericâ si mittitur sanguis, qui nequidem micabat pulsus, resipiscit, & vis vitalis revertitur idcircò, quòd, minutâ sic sanguinis mole, minuantur resistentiæ; Cur, si opium datur, non perinde rever-

vertetur vis vitalis? relaxatis enim per opium canalibus, etiam minuuntur resistentiæ.

Quartum immanis torquet Gastrodynia; in levaminis gratiam sine morâ propinas demulcentia oleosa, (1) carminativa, narcotica

---

(1) Oleosa illa ut plurimùm malè sapiunt, & moto fastidio ad vomendum cogunt. Evenit tunc aliquando, contrà spem & voluntatem Medici, ut ægrotus acerrimas materies vomitu egerat, & sic dolore liberetur per naturæ motum, cui tum medicaminum actio, tum Medici intentio adversabatur. Quoties ita visum est, suscitari vomitionem ipso tempore, quo omnes motus sopitos, omnes evacuationes cohibitas credebat Medicus, præscripto contrà spasmos & dolores laudano liquido, aut liquore

tica ; operosè nihil agis. Expiſcaris doloris cauſam, ſed multùm abeſt, ut ex duro, & hebete ægroti cerebro diſcas, ab acri, à porraceâ, & æruginoſâ bile dolorem eſſe, ab eâdem bile prodiiſſe febrem *cardiacam* (1) *ſyncopalem humoroſam.* (2) retinetur hæc bilis, inteſtina circumerrans parit malorum iliadem, tenditur abdomen, alvus pertinaciter clauſa recuſat Clyſteres, afficiuntur partes vicinæ, patitur veſica, fit iſchuria cum ſingultu, cum convulſionibus, pulſus intermittit, interit.

Ac-

---

quore anodyno Hoffmanni cum oleo amygdalarum dulcium ? ô felices ægri, quos ſapiens natura ſic artis errori ſurripit !

(1) Torti pag. 187.

(2) Avicen. lib. 4. pag. 53.

Accedit quintus Medicum; dum morbus recedit, & jamjam in decremento eſt, ita tamen, ut acuties Symptomatum adhuc urgere videatur. Quia latet morbi curſus, latet quoque, an, habitâ præcedentium ratione, res ſit pejor, meliórne. Tumultuariè imperantur medicamina, ſtrenuè pugnatur, interibi dum quieſcendum eſt; ſic diſturbantur ſpontanei niſus, medicatrix (1) natura ſiſti-

(4) Medicatrix natura erit *Necatrix*; ubi optimo ex fine utitur medio lethali; Sic e. g. ſuperveniens plethorico febris, inſtrumentum eſt, à naturâ vincendæ cruoris moli adhibitum; ſi febris inflammat viſcera, quid hoc inſtrumento deterius? pungitur tendo: quot motus, quot ſpaſmos, qualem febrem ciet natura, ut, quod pungit, amoveat, quod dolet

ſiſtitur quaſi in medio viæ ; omnibus ſusque deque converſis , quod erat exiturum , remigrat , caput exerunt nova ſymptomata , quæ in dies latiùs manant , quorúmque auctor Medicus, non morbus.

Sextus febre putrido-phlogiſticâ affectus ipſo , quo morbus judicandus eſt , die Noſodochium petit ; Vigent Symptomata , & quoniam inſtans Criſis non præſcitur , nec præſcitu poſſibilis eſt , affatim ingurgitantur aquoſa,

---

dolet , ſanet ! his motibus , his conatibus ſalutari exertis fine , quid vitæ magis inſidioſum ? licet igitur dimidiæ morborum parti natura medeatur ſola (id quod ægros ſuo Medico minùs fiſos debet conſolari) attamen aliquandò ipſa natura *officioſiſſimè* occidit.

ſa, (1) & detrahitur cruor, aut celebratur catharſis methodo heu! nimis triviali. Quid inde? *quò magis jam proceſſit methodus certa naturæ, eò minùs tolerat interturbari*; (2) iterum peſſumit omnis ordo, *motus ſuperſtes curationi opportunior* reprimitur, evacuatio hàc futura aut aliò divertitur, aut nullibi fit; intùs manet morbificum, diadoche mutatur in metaſtaſin, ſi non reſolutio, ſaltem ſuppuratio inhibetur, ſternitur via ſphacelo; Quot & quanta mala, nonnunquam eheu obvia vel Medicorum emeritiſſimo! nec enim ſemper qui lib-

(1) *Potandum, lavandum, refrigerandum eſt*, ſtatim clamitant, inſcii, febrem cum peſſimis ægri rebus ſic mergi poſſe.

(2) Stahl. Caſual. min. pag. 373.

libris impalluit, ùt jam diximus, & ad ægrotantium lectulos consenuit, ab hujuſmodi errore uſquequaque tutus erit; ſiquidem quæ de criſibus prævidendis habent Hippocrates, Galenus, quæque hâc ſuper re effuſiùs ſcribit Proſper Alpinus, ſecura adeò non ſunt, ut quis de crumenâ ſuâ ſecurior eſſe non velit; quot fiunt criſes ſine præludiis! quot criſes fiunt vario modo, præludentibus ſignis eodem modo! multis ſimul ægrotantibus ſudor eſt, multis ſimul diarrhœa, ſimul ſanguinis è naribus effluxus, & in ſingulis tamen ante hæc quid aliud obſervatum eſt. Sed eſto, inſtet, præſciatur criſis, ecquid ſequetur? ſæpè paris evacuationis diſpar èventus eſt, & aliquando poſt evacuationem, quam ſalutarem dixeris, mors in foribus eſt, quia motu critico extincta

jacet natura. Hoc ſanè circà acutorum terminationem certum eſt, quòd incerta (1) ſint plurima, nec cum aliquibus vererer dicere, ſub eo ſaltem reſpectu artem, alioqui nitidiſſimam, pauliſper conjecturalem & vaticinationi ferè ſimilem eſſe; illúmque rectiùs curaturum, qui ſuis conjecturis, è prævio ratiocinio quidem depromptis, minùs fallitur. (2)

Septimo militi madeſcit cutis, nec

(1) *Morborum acutorum non in totum certæ ſunt prænunciationes neque ſalutis, neque mortis.* Hip. ſect. II. aph. XIX. veracius nihil continent divi ſenis Opera.

(2) *In hoc morbo, ùt in aliis multis, quorum Theoria obſcuriſſima eſt, qui ſolertiùs conjectat, feliciùs curat; qui de Theoriâ ſuâ non dubitat, lectores decipit.* D. de Sauvag. claſſ. morb. ubi de Syrigmo.

hæc levamen eſt, quia non id quod morbum facit, ſed quod in vaſis fluidius, tranſudat; Si inauſpicatò calida, vulgò ſudoriſera, hìc dantur, quantus error! ſed quantò major, ſi quis calefaciendo ſudorem elicere tentat, dum cutis ſicca, & æſtuans ad Diaphoreſin nullatenùs proclivis eſt, ùt non rarò evenit in febribus illis tardi moris, quæ vigeſimum excurrunt diem, quin criticum quid prodeat. Natura, inquies, materiem noxiam è corporis profundo ad peripheriam quidem propulit, ſed defectu roboris ejicere illam penitùs, & per colum cutaneum extrudere nequit; hîc ergo, ne illa materies figatur, & concentretur, ſudorificis opitulandum. (1) Proh

(1) Ita ſubridiculè differentes audivi quoſ-

crassæ Minervæ ratiocinium! sudorificis propriè dictis colum cutaneum, cui laxitate opus est, stringitur, humores rarefacti, qui refrigerantibus dilui, densari debent, accenduntur, resolvuntur, eorum olea & sales extricantur, exaltantur; hinc putredo, gangræna, maculæ purpureæ, hypochondriorum inflatio, dyspnœa, motus spastici, cum pulsu inordina-

---

quosdam in Westphaliâ, Weteraviâ, Hassiâ. *Ad populum phaleras*..... Curatio Lobbiana in febre rheumaticâ, in pleuritide verâ peragitur solis calidis, sudorificis, cardiacis; catharsis, emesis, phlebotomia Lobbio videntur inutilia esse in febribus inflammatoriis, ardentibus, malignis, putridis acutissimis. Confer Authoris opus ad finem, noli tamen hujus assecla *experientias per mortes facere.*

dinato, fluctuante, formicante, myuro. Purpuram sic subrepere sub finem acutorum, non semel vidimus apud Westphalos, & Hassos, qui in solum sudorem intenti, & phlebotomiæ & catharsi pepercerant, ægrotísque vinum concesserant. Nostratibus eodem correptis morbo nunquam, aut vix unquam exanthemata fuêre, & hi per laxantia sine viribus convalescebant, dum illi per cardiaca cum totis viribus interibant, velut *mechanicè* (1) occisi; neque tantum discrimen animos movit, sed anilis prævaluit Superstitio; apertis quasi oculis cæcutientes

(1) *Mechanica, vel Physica est ruina machinæ; prima à nimiâ vasorum pressione, unde affrictus, detritus, ruptio, distensio &c.* D. de Sauvag. nosol. meth. tom. 1, pag. 429.

victimæ internecinam methodum deſerere næ noluerunt ; contrà tot clades purpuræ, quæ *graſſans maligna* audiebat, credulum vulgus utebatur prophylacticis, minimè cogitans, purpuram háncce inconſultæ praxeos filiam eſſe. (1)

Febres verè malignæ (2) peculia-

(1) Si petechiæ, vel vibices erumpant ante morbi ſtatum, equidem vera purpura eſt; Si poſt morbi ſtatum, febris eſt *petechizans*, ſic nominata à Junckero, & Nentero, regimini calido, mixturis Hoffmannianis, pulveri pannonico rubro, bezoardicis attribuenda.

(2) Non *Cacoëthes* (quod propriè deſignat morbos omnes mali moris ex Hipp.) ſed potiùs *typhodes*, *exteriùs mites*, *ſeu obſcuræ*, *intùs turbantes*. Proſp. Alp. de præſag. vit. & mort, cap. 10, p. 46.

liaris ac rari genii ſunt, copias ſporadicè affligunt, nullam ſibi anni tempeſtatem arrogantes; clandeſtinè invehuntur, ſubdolè incedunt, & exutâ fallaci larvâ, ſubitò tetræ ſunt formæ, ita ut, cui hodie pulſus bonus, (1) lingua bona, extractus ſanguis bonus, cras tacitè poſſit emori. In initio vis ſymptomatum vim febris ſuperat, ſcilicet minor febris eſt, quàm foret, ſi ſymptomatum gravitati, & morbi ſtadiis reſponderet; calor accedit ad naturalem, interea dum æger decumbit ſupi-

(5) Pulſus videtur eſſe bonus, & naturalis, quia vires, ad ciendam febrim requiſitæ, haud impenduntur. *Cùm natura vires ſuas, viribus morbificæ materiæ, inferiores perſentit, tunc ne pugnare quidem adversùs eam aggreditur.* Galen.

nus, morosus, obscurè delirus, quasi stupidus, aut ebrius, altè trahens spiritum, oculósque figens; humet plerumque illi os, & raró sitit, nec corporis, nec animi dolor est; hæc autem brevì immutantur, pulsus, ante naturali similis, opinione citiùs concidit, fit frequens, celer, parvus, tremulus, intermittens; oris interiora, quæ madebant, mox siccescunt, nigrescunt; musculi masseteres, crotaphytæ cum zygomaticis convelluntur, fit risus sardonicus, trismus, deglutiri nihil ampliùs potest, tendines subsiliunt, strident dentes, capiuntur flocci, luctans natura hominem concutit; conclamatum est.

Hos morbos evadit nemo, nisi statim in principiis, dum ignis adhuc latet *sub cinere doloso*, poten-

tenter oppugnetur ſpiſſitudo gangrænodea, niſi genus nerveum, velut ſyderatum, acriter excitetur, & naturæ vires ſub morbi ſarcinâ ſuffocatæ ocyùs erigantur; quod fit, ſi miſſo ſanguine ſemel è brachio, & è pede, aut bis in brachio tantùm, Vomitorium detur, ſi tartarus ſtibiatus, ùt alterans, tum in ptiſanâ incidente, diapnoicâ, tum in decocto per epicraſin purgante ſolvatur, ſi dein Cantharides imponantur ſuris, vel cruribus, nuchæ, ſcapuliſve, & omni trihorio catapocium propinetur ex radicis ſerpentar. virgin. ſcrup. ſſ. nitri gr. VI. camphoræ gr. III. kermes min. gr. II. formâ boli, ſive pulveris in julapio cochleatim dando diluti, addito ſpiritu Mindereri, lilio Paracelſi, liquore C. C. ſuccinato; circà quæ prudenti optio eſt, non omiſſis interim congruis

clysmatis, & continuato uberi prædictæ ptisanæ potu. Talis methodus complures salvat, morbo sæpiùs per alvum & urinas, rariùs per sudorem judicato, nonnunquam sensim sine sensu soluto (potiùs assimilatâ, quàm evacuatâ materie;) & idcircò, quæ erumpunt parotides, multis bono sunt, quin opus sit, has sponte, vel arte suppuratum iri. (1) Post duodecimum dies non levatos levare ante vigesimum, difficile est; morbus enim, qui illo tempore ibat crescendo, posteà homotonus stat, acmen est, & non

---

(1) Malignis febribus quid commune cum peste est, constat verò, ex 20000. circiter hominibus, peste affectis Massiliæ, majorem partem cum bubonum & parotidum resolutione convaluisse.

non ampliùs ſpiſſitudinis, ſed diſſolutionis notæ ſunt; quia corruptis & per moram, & per miaſmata qualiacunque fluidis ſpiſſum in tenue putridum mutatur. Ludit hìc nova prorſus ſcena, ſævitque anomalia ſymptomatum; non jam delirium tacitum eſt, ſed phreniticum, non ſomnolentia; non ſtupor, ſed vigiliæ, jectigatio, *jacendi negata & diſplicens omnis poſitio*, (1) cum anxietate *præcordiali, pulmonali, epigaſtricâ*, (2) cum ſiti & ardore, cum urinis rubro-flammeis, alvo fluidâ, ventris meteoriſmo, fœtente halitu, maculis &c. ſi quid tunc opis eſt, certè ab acidorum magnâ

(1) Cæl. Aurel.

(2) Videſis illuſt. Archiat. Van Swiett. in Comment. Aphor. Boërh. *de anxietate febrili.*

nâ dosi petendum erit, ab aquæ tamarindinaceæ, aut blandi oxycrati largissimo potu, à decoctis corticis chinæ chinæ, foliorum acetosæ, endiviæ, lactucæ, portulacæ, spiritu vitrioli (1) ad acorem satiatis.

Locus utique non est infamatis

---

(1) Milites 180. inclusi in templo, ubi sepulti fuerant pestiferi, corripiuntur febre malignâ cum petechiis & bubonibus; potabant aquam oleo & spiritu vitrioli acidam, & evadebant omnes præter octo, qui liquoribus spirituosis utebantur; notandum verò est, quod cuivis successivè secabatur vena, nec primi vinciebatur vulnus, antequam secta fuerat vena ultimi, ita ut singulo circiter 100. unciæ cruoris detractæ fuerint. Id visum & actum in Peruvio est, narrante Doct. Pover anglo, *the ancien physician.*

tis his ægritudinibus, quin ſenſorium commune notabiliter læſum, & encephali vaſa diverſimodè affecta, compreſſa, diſtenta ſint. Cùm autem nimiæ preſſionis, & diſtenſionis pediſſequa demùm laxitas ſit, & his ipſis vaſis, quorum minùs firmi parietes, ægrè redeat prior elater, non mirum eſt, in variis cranii locis naſci congeſtiones, & convaleſcentium aliis auditum, aliis viſum per tempus aut infringi, aut planè aboliri; conſectariis híſce vitiis opponere ſemper velle pharmaca, ſupervacuitas eſt, & certè organa, prægreſſo morbo ſic labefactata, ſaneſcunt plerumque ſoli commiſſa naturæ, eorúmque integritas eodem, quo vires, paſſu revertitur.

Quantùm valeant in depictis morbis Cantharides, eluceſcet

ex

ex hiſtoriâ Viti anno 1758. Weſaliæ decumbentis. Huic adfui, poſtquam ſeptimanæ ſpatio ægrotum malè mulctaverat Tyro Chirurgus, immiſericorditer ventriculum, inteſtina, & venas evacuans, nullâ habitâ ratione pulſûs depreſſi, inæqualis, tremuli, motuum convulſivorum, ſingultûs, diarrhœæ ſeroſo-putridæ, ſitis indelebilis, jugis delirii, vultûs reſoluti, Hippocratici &c. Tot in malis feſtinavi ad acida cardiaca; juſſo potu ex oryzâ cum pauculo cinnamomi, & guttis aliquot ſpiritûs Vitrioli, ſequens exhibui cochleatim:

℞. Decoct. fol. acetoſ. Unc. V.
Syrup. limon.
Succ. recent. limon. aa unc. I.
Confect. de hyacinth.
Pulv. cort. peruv. ſubtiliſſ. aa drach. I.
Camph. cum duplo Nitri contrit. gr. V. m.

Paucis poſt horis deſiit ſingultus, alvus rarior facta eſt, urina priùs tenuis, turbata ac ſpiſſa evaſit; perſeverârunt tamen pulſus miſer, crocidiſmus, ſeu captatio floccorum, ſubſultus tendinum, cæterique mortis prodromi. Accerrima veſicantia ſuris, ac nuchæ appoſita ne cuticulam quidem admordent; Liquor C. C. ſuccinatus cum aliis datus nil boni præſtat; pulſus perit, concamerati oculi volutantur in orbitis, pallent reſoluta labra, exuſtas fauces convulſa lingua obthurat, moriuntur organa ſenſuum, & corporis extrema. Cùm abiverim, adſtantium aliquis, quo inſtigatus fine neſcio, totum dorſum Cantharidibus tegit, interim dum moriens, ſudore frigido perfuſus, trahebat citas, morulis interpolatas inſpirationes, ita ut, extincto per plures ſecun-

ſecundas ſpiritu, cadaver è lecto amoverint. Verùm quid miri! ſeptem ſpatio horarum, qui frigebat ſudor, incaleſcere, pectus anhelare, & ſpirare cœpit. Perterriti adſtantes in lecto reponunt redivivum corpus, & paulò poſt ſpinam dorſi in gibbum elevatam conſpiciunt, quem gibbum mentiebatur ampulla, fœtente ſero, per epiſpaſticum elicito, plena. Transactâ nocte, ad ægrum accieor, quem mox humandum crederem, vitali motu redonatum, & novâ ſpe erectum video attonitus; multa juſcula ſorbebat, ſudore diffluebat totus, tuſſiebat, & puris plurimum exſcreabat. Præſcripſi theiforme ex herbis vulnerariis, unà cum potiunculâ corroborante. Sudor trium, puris ſputum ſeptem dierum fuit. Convaleſcens, qui tabellarius erat, ſex poſt ſeptimanis ſuos in urbe

pere-

peregit cursus, quin superstitem à morbo labem senserit. Hodiè Neobrisaci Athleticâ fruitur Sanitate, ferè persuasum habens, quòd exhumatus vivat.



Cap. V.

De

Anasarcâ.

AUtumnus, & hyems invehunt leucophlegmatiam, cui vel *calidæ*, vel *frigidæ* nomen damus, propter febrem alterutrius sociam.

Leucophlegmatiæ accedere febrim, illámque ab ipsâ febre reddi *calidam*, & velut œdematoso-erysipelatodeam, vestigium prementis digiti non servantem, observari solet in viris nervosis, ac quadratis, quibus sat virium

est, ad augendum cordis motum in gratiam vincendæ resistentiæ, quam opponit lympha textûs adiposi cellulas implens; dum econtra apud imbecillos (resistente alicubi circulatione) sanguis non magnâ vi retrò urgetur, ad promovendum, quod hæret in capillamentis; sed cor quasi oppressum languet, & ciendæ febri impar est.

Febri accedere leucophlegmatiam, crebrius est videre apud temperamenta fluxa & infirma, quorum fibræ molles & atonæ à fluidis rarefactis, ac velociùs propulsis facilè distenduntur, & quia non reagunt, distensæ, atque suffartæ manent; Sicut enim, præsente febre, crescit pressio lateralis in vasa sanguinea, ita & crescit in vasa lymphatica, proindeque lympha uberior in hæc, &

ex

ex his in vaſa adipoſa, ſeu in textum cellularem pellitur, non verò transpellitur, ſed diffunditur, & congeritur defectu elateris, unde inflatio.

Sic igitur aut febris Leucophlegmatiam, aut Leucophlegmatia febrim parit; id eſt, febris modò cauſa, modò Leucophlegmatiæ effectus eſt; quæ res ex viſis circumſtantiis, & factis ſciſcitationibus ægrè dijudicatur apud milites. Quidquid ſit, ſi, perſiſtente miti febre, Anaſarca videtur ſubſidere; exhibendus tantummodò potus diapnoicus ex rad. gram. ſcorzoner. ligni. ſaſſafr. & febrili motui relinquenda mali ſolutio eſt. Quòd ſi autem febris, calore, ac ſiti ſtipata, periculum portendat, plurimùm intereſt, diluentibus, temperantibus, nitroſis, laxantibus uti,

habito nullo reſpectu intumeſcentis cutis. Non præſentius hoc in caſu remedium experiri potuimus, quàm emeticum antimoniale, ad tria grana in ſeri lactis librâ ſolutum, & triplici hauſtu epotum ſpatio ſeſqui horæ. Paulò poſt ano & kato egerebatur blandè, & ex egeſtionis proportione metiri tum febris remiſſionem, tum cutis detumeſcentiam licebat. Vomitui quidem mox finis fuit, ſed perrexêre toto die evacuationes alvi, adjutæ ſero lactis nitrato, inſtar ptiſanæ dato.

Quàm facilè humor à cute in cellulas adipoſas, & ab his in cutem rapi poſſit, viſum eſt in febre, cui Anaſarca eodem accedebat paſſu, quo recedebant exanthemata, & viciſſim. A repulſis eruptionibus cutaneis Leucophlegmatiam febrilem naſci, ſemel

mel atque iterum obſervavimus.

Vulgariter occurrit Anaſarca frigida ; vel eſt febris quartanæ, ſcirrhi, lienteriæ, hæmorrhagiæ pediſſequa, non rarò in aſcitem deſitura, & curatu difficillima ; vel adoritur primariò, nullo alio morbo præeunte, & conſueſcit pendere à retento perſpirabili, à ſpiſſâ, inerti, & lentiùs circulante lymphâ, à peculiariter laxis, & atonis vaſis, à rubri ſanguinis penuriâ ob læſas coctiones, à membranarum reactione debiliore, relativè ad ſeri molem, cujus pondus vaſorum contractilitatem exſuperat, aut demùm à victis per reſiſtentiam qualemcunque viribus truſivis &c. horum quidquid ſit, perinde eſt, omnis ferè ſpes à fonte hydragogorum fluit. *Qui benè purgat, be-*

nè sanat. (1) nec quid proficiunt attenuantia, tonica, diuretica, nisi hydragogis nupta sint. Vidi Leucophlegmaticum, qui fatis proximus, à variis drasticis nihil commotus, demùm convalescere cœpit ope sequentis haustûs.

℞. Succ. rad. bryon. rec. expr. unc. II.
Syrup. è rhamn. cathart. unc. I.
Pulv. jalapp.
Mechoacan. aa scrup. ss.
Tart. stib. gr. II.
Misc. pro dosi.

Solutâ alvo, inflatio subsedit, dein discussa penitùs est usu pulveris hujus experientiâ commendati.

℞. Rad. ari.
Scill. ppt.
Vincetox.
Sal. tart. aa gr. VIII. m.

Mane ac serò id sumatur, superbiben-

---

(1) Bagliv.
Aquâ inter cutem detento, ubi aqua ex

bendo infusum ex flor. chamomil. rom. & centaur. min. sive decoctum ex rad. gentian. helen. & bacc. junip.

Strictim addamus, & esse Anasarcas, quæ frigidas inter & calidas mediæ videntur; quia ægrotum tenet, nec lecto affigit, levis febricula, noctu increscens cum siti. In hisce nihil aptiùs quadrare, discitur praxi, quàm identidem data eccoprotica, cum usu apozematum leniter aperientium & temperatè antiscorbuticorum, qualia ex radicibus lapath. acut. cichor. sylv. taraxac.

M 4 fra-

---

ex venis in ventrem confluxerit, morbus solvitur. Hip. sect. 6. aph. 14. *Albâ pituitâ vexato fortis Diarrhœa superveniens morbum solvit.* Idem sect. 7. aph. 29.

fragar. ex herbis pimpinel. borrag. scolopend. chærefol. beccabung. adjecto sale Glauberiano, vel arcano duplicato.

In Zenodochio Wesaliensi singulare quid observare contigit apud ægrum, ita tumentem, ut ei corpus mole duplum esset. Jusseram, ut scillæ radix ad aliquot grana in succo recenti fumariæ & nasturtii propinaretur, & paucis post horis patiens pleno ore ejecit serum subflavo-amarum, tanquam è fonte emanare non cessans per totam noctem, donec manè maderent omnia stragula, & lectus in rivulis staret; quod phænomenon misero occubitum maturavit. Num tanta seri colluvies scaturivit è ruptis hydatidibus, mutuatis flavedine & amarore tum ab admixtâ bile, tum à succo herbarum paulùm ante

ante inhausto? num iste latex in cavo abdominali stagnans, ad ventriculum delatus exiit ore, sicut interdum aliò delatus per cutis, alvi, renum vias erumpit?



Cap. VI.

De Scorbuto.

PRætereundus non est Scorbutus, insignis, & latissimè patens morbus, qui sævit in copias vel primariò, si nimirùm castris frigidis, depressis, humidis, uliginosis, si victu crasso, viscoso, magis animali, quàm vegetabili, si cerevisiæ crudæ, minùs fermentatæ, aut aquæ stagnantis, impuræ potu, salsedo perspirabilis retinetur, & sanguini

peculiaris (1) dyſcraſia inducitur; vel ſecundariò, ſi prægreſſis febribus continuis, aut intermittentibus, ita chyloſeos, & hæmatoſeos functio langueat, ut humorum aquoſa, vappeſcénſque corruptio fiat. Sive præcat autem Scorbutus, ſive à tergo ſequatur alios morbos, is firmæ compagis

(1) Peculiaris illa ſanguinis dyſcraſia, ſeu *acrimonia ſalino-muriatica*, *acida*, *alkalina*, preſſè licèt & dilucidè enucleetur à Magno Boërhaavio, definiri tamen *á priori* vix poteſt, quod ad praxin parum refert, cùm penè ſufficiat noſſe, quid triplex hæc acrimonia ſit *à poſteriori*, & quibusnam auxiliis ſpecificis debelletur, auxiliis, inquam, non in ſolos agentibus humores, ſed & in partes ſolidas, quarum vitiis ſcorbutica humorum degeneratio magnâ ex parte debetur.

pagis, & alacris genii viris videtur parcere, cùm molliter constituta, & melancholica præsertim subjecta amet sui juris facere.

Cachecticus pallor, lassitudo spontanea, & constans, dolores vagi, gingivarum tumor, pruritus, cruentatio, fœtor, dentium mobilitas, maculæ diversicolores, tibiis plerumque, rariùs trunco, nusquam faciei insidentes, sunt totidem signa Scorbuti *vulgaris*, cui mederi parvus labor erit, si (præmissâ catharsi semper, phlebotomiâ raro) exhibeatur bis in die jusculum vitulinum nasturtio, beccabungâ, fumariâ, borragine medicatum; quod vehiculum ex carne paratum, lymphæ humanæ valdè analogum, decoctis cerevisiâ, vino, & simplici aquâ factis, feliciùs cedit, testante uno ægrorum

torum clamore, quibus juſcula ſemel cognita ita cordi erant, ut poſteà remedium hoc velut Herculeam antidotum à nobis efflagitarent, longè rejectis apozematibus ex vino, aut cereviſiâ confectis, quorum formulæ antehàc moris fuerant; quæ tamen aſpernari, minimè mens eſt, dantur ſiquidem caſus, ex naturâ ſuâ ejuſmodi quid activius & ſpirituoſius poſcentes; neque cogitamus laudata juſcula mucilaginoſa ſemper ſufficere ſola; pluriès enim neceſſe eſt, ut boli ex croco martis, aſellis, tartaro vitriolato &c. conſervâ cochleariæ, vel fumariæ exceptis, eorundem uſum ſuffulciant. Illud notandum inſuper eſt, quod ad curationem plurimùm referat, ſcorbuticos eſu carnium interdici, & quantùm licet, puro in aëre poni, ab aliiſque ægris ita ſequeſtrari, ut Noſocomii lo-

ca

ea ſublimiora, atque ventilatiora habitent.

Rariſſimum eſt, injecto ſtatim freno, longiùs excurrere morbum, conſtátque, in Gallorum exercitu ſcorbutum *vulgarem frigidum*, ad eum, cui *inveterati calidi* nomen, fuiſſe circiter ùt 50. ad 1. Noſodochiis Weſaliæ, Duſſeldorpii, Francofurti, Caſſellarum ſæpè ne unus quidem inerat Scorbuticus, cujus ſymptomata eò nequitiæ aſcenderint; quod ut fiat, debent fluida à craſi primâ penitùs deſciſcere, reſolvi, alkaleſcere, & putrefieri; proin accedere dolores lancinantes viſcerum, artuum, febris maraſmodes, ulcera nulli topico morigera, hæmorrhagiæ narium, hæmoptyſes, hepatirrhœæ, lotium paucum, flammeum, tetrè olens, maculæ livido-nigræ,

de-

dejectiones putrido-colliquativæ; anxietates, lypothymiæ cum universali, celeri, & præ fœtore Medicum ab ægro longiùs depellente corruptione. Ad tristia hæc ubi ventum est, exitio jam sunt, quæ priùs saluti erant remedia; quippe salso-muriaticum, crassum, stagnans, iners incidi, fluxile reddi, peculiariter corrigi, languentiúmque solidorum functio instigari non ampliùs debet per acria, tonica, sale volatili fœta; sed econtrà nimis mobile, solutum, acre, alkalescens, putre temperare, cogere, involvere, coërcere incumbit; quod implent 1ò. plantæ oleraceæ, nitrosæ, sero lactis incoctæ, quales endivia, portulaca, lactuca, borrago, acetosa, taraxacum &c. 2ò. Refrigerantia acida, ùt limones, tamarindi, fructus varii austeri, acido-dulces, cremor tartari, acetum

tum &c. 3°. Antiputrida toties jam decantata, in decoctis alumine, ſpiritu vitrioli ſaturatis; quorum omnium ordo ex mali gradu metiendus eſt. Nonnullos atrophiam minantes gelatinis, lacte, potu ex avenâ, hordeo, & oryzâ recreabam; gelatinas verò ſucco limonum, aurantiorum, naſturtii condire, lac incoctâ menthâ, meliſſâ, fumariâ corrigere, ptiſanæ incraſſanti acidula inſtillare oportuit. Sic varia variis nubendo, & vehicula ingredientibus modificando, ſecurior medicina fit; potéſtque intelligi, cur hocce in morbo acria, alkalina raro quadrent mera, temperantibus autem, ſubacidis, nitroſis juncta, ſæpiùs optato fini reſpondeant. (1)

---

(1) Ex hiſtoriâ Scorbutorum, qui mari-

Compertum est, quòd Castris nostris non propriè Scorbutus, sed

---

maritimos plectunt, passim perlectâ constat, indiscriminatim curatos esse ægros calidis & frigidis, alkalescentibus & acescentibus remediis, cochleariâ & lactucâ, raphano & nymphæâ, nasturtio & acetosâ, erucâ, sedo minori, trifolio aquatico, sinapi, cœpis, alliis, pipere, aro, & pomis aurantiis, citreis, punicis, tamarindis, baccis rubi, moris, fragis, aceto. Verùm prudentiæ esse credo, hisce historiis diffidere; utpote scriptæ potissimùm sunt non à Medicis, sed à Missionariis, à navium ducibus, & à mercatoribus, qui ægritudines vident, non observant, & penès quos reapse non est, symptomatum stadia ritè dimetiri, atque mutationes quaslibet genuinâ consignare nomenclaturâ, multò minùs specialem morbi essen-

ſed ſymptomata ſcorbutica paſſim intervenerint. Quàm ſolenne

---

eſſentiam ita graphicè depingere, ut erui inde poſſint practicæ concluſiones. Præterea ſi Scriptoribus illis adæquata foret fides, quid tum? tot curæ contrariis medicamentis factæ in eodem climate, in eodem itinere, in iiſdem ſubjectis, minimè demonſtrant, eandem ſcorbuti ſpeciem ſanatam fuiſſe & acidis & alkalinis, & frigidis & calidis; licebit tantummodò inde colligere, quòd diverſa, & contraria vegetabilia diverſos, & contrarios morbi gradus extirpârint, id eſt, quòd eâdem in navi, eâdem in inſulâ, nunc extiterit ſcorbutus incipiens frigidus, cui e. g. cochleariæ folia, nunc confirmatus putridus, cui limones profuêre. Omnes plantæ cruciatæ acres, ſale volatili prægnantes, habent in ſe materiem mucoſam, quæ ventriculo ſubacta, & incipien-

est, apud gregarios milites colli-cam, rheumatismum, cardial-giam, astheniam, cephalæam, paralysin, diarrhœam, tabem, aliósque affectus acrimoniæ scor-

---

cipientem fermentationem passa, quoddam acidum spirat; sed vim illarum anti-scorbuticam huic acido arrogare, perinde est, ac si vim chinæ chinæ febrifugam paucissimo, quod continet, sali urinoso tribuerem. Neque ex Pringlei experimentis circà naturam cochleariæ institutis probatur, hancce herbam scorbuto calido mederi; etenim si per experimenta facta, avolante multo alkali, hæcce herba paulùm acescit, concludendum non est, viribus illam pollere anti-alkalicis; alioquin plura vegetabilia, in merum alkali abeuntia, acidorum vim pari possiderent jure, cùm quid acidi spirent *in certo* corruptionis *gradu*, veluti monuit Clariss. de Haen. *Rat. medend. part.* 8.

buticæ adſcribere, & herbis profligare anti-ſcorbuticis, quarum indicatio, ſi non ex gingivarum labe, nec ex procatarticis ſignis eruitur, ſaltem ex diuturnâ mali cum ſolitis remediis luctâ conjectatur. Illiſce ſymptomatis meliori præ omnibus jure annumeratur *Gonagra*, ſeu tibiarum retractio cum tumore, & immobilitate genuum; quod accidit, ubi articuli synovia à ſcorbutico virus inſpiſſeſcit, & tendines flexores ſemimembranacei, ac ſeminervoſi, prægreſſis doloribus diù irritati, tandem rigeſcunt. Quotidiè hìc epotetur ſeri lactis libra, ſucci naſturtii aquatici unciis tribus, & contuſis, expreſſiſque aſellis viginti alterata; identidem in uſu ſint ſemicupia tepida; ſæpè allinatur articulus unguento althææ, cui camphora ineſt; ſic lento quidem, ſed certo abi-

bit pede malum, & constabit solerti Medico, quàm inutili, & præposterâ consuetudine receptum sit, milites gonagricos toties ad mineralia balnea Aquisgrani, Plumbariæ, aliúsve loci ablegare.

Symptomata oris placantur per illa, quæ gingivas prurientes, calentes, inflammatas refrigerant, ùt oxycratum cum melle rosaceo, decoctum hordei, acetosæ, sempervivi majoris, cum pauxillo oxymelitos, nitri; quæ gingivas molles, pallidas modicè roborant, ùt tinctura gummi laccæ, folia cochleariæ, sisymbrii masticata, & exsucta; quæ laxas, cruentatas, tumidulas stringunt, firmant, ùt decoctum corticis granatorum cum alumine, & spiritu acido; quæ demùm putrescentes, fœtidas, nigras quasi condiunt

diunt, & gangrænam arcent, ùt varia collutoria, quibus adduntur ſpiritus cochleariæ, tinctura myrrhæ, camphora, ſpiritus ſalis marini; quo ultimo ſolo, non diluto, interdum neceſſe eſt tangere, penicilli ope, loca gangrænoſa, ut corruptum ſeparetur à ſano, & ſerpens contagium ſiſtatur.

Ad fugandas maculas, quæ velut totidem ſugillationes videntur ſolo fotu tonico, reſolvente indigere, conducit quidem vinum aromaticum, vel ſpiritus vini camphoratus cum ſambuci decocto; ſed utriuſque, perinde ac aliorum topicorum, manca foret opera, niſi & ſimul intùs aſſumptis medicaminibus ſcorbuticæ cachexiæ occurreretur.

Qualiſcunque ſit diſſimilitudo ſcorbutum inter & ſyphilidem,

manent tamen aliquando (ubi illæsum os eſt) obſcura alterutrius indicia; ſunt enim ſui utrique dolores noctu ingraveſcentes, ſua ulcera, ſui infarctus, eſt ſua laſſitudo, ſuus torpor, ſua peculiaria muſculorum, viſcerum, & oſſium mala; ex quorum perplexo fonte parum lucidi profectò hauriri poterit in Noſocomiis, ſi breve tempus longo obſtat ſcrutinio. Quid, ſi diagnoſis ita ambigua eſt? an in auxilium vocentur remedia mercurialis proſapiæ? an quæ vulgò ſacrata ſcorbuto ſunt? cùm ægroto, de cujus conditione non benè conſtabat mihi, varia exhibuerim anti-ſcorbutica per 15. dies, exulceratum tandem os eſt, & vacillaverunt dentes, cæteris non in melius mutatis; ex novis his ſymptomatis ſanè videbatur jam major eſſe, quàm fuerat, præſentis ſcorbuti cer-

certitudo; monuit tamen dudum inanis, imò perniciosus anti-scorbuticorum usus, non ampliùs eidem insistendum viæ, sed aliò collineandum esse. Præbui itaque sublimatum Archiatri Van Swietten, quod morbum mensis spatio mansuefecit. Utri virus, venereóne, an scorbutico, num ambobus simul medicina tunc facta sit, decernere non ausim. Tametsi in scorbuto à mercurialibus, & ab omnibus metallicis communis metus sit, nihilosecius à rectâ horum adhibitione sanari posse scorbutum incipientem, facilè suspicarer; utpote utrobique & spissum attenuare, & stagnans fluidum reddere, operæ pretium est; in scorbuto quidem comitem spissitudo acrimoniam habet, cùm verò acrimonia hæcce à lentore proficiscatur, res penè eodem recidit; nec obstat singula-

ris illa mercurium inter & ſcorbuticum virus facta conſpiratio, ad contaminandas gingivas; hæc enim in mercurii modificato uſu, ſeu in *extinctionis* methodo locum non habet, gingivis illibatis manentibus; neque ſententiam detorquet id, quod accidit apud Syphiliticos, quorum nonnullos interpellat, & deſolatur ſcorbutus in medio Argenti vivi uſu conſtitutos; cùm enim iſte ſcorbutus, qui improvidam remedii adminiſtrationem ſequitur, ſit calidus, à putreſcente diſſolutione ortus, & à frigido incipiente toto diſtet cœlo, quid impedit, quominùs mercurii actio primæ ſcorbuti ſpeciei faveat, & ultimæ adverſetur, id eſt, quominùs mercurius, incautè datus, ſcorbutum calidum producat, & productum exaſperet, datus verò circum-

ſpectè

ſpectè, frigidum ſcorbutum aut palliet, aut curet?

Finem faciat curatio aſcitis ſcorbutici in milite armato, quondam ſatrapâ togato; (1) huic dolores varii, vagi, obſcuri, profundi, identidem cardialgici, faucium ardor, exulceratio, gingivarum corruptio, & fœtor intolerabilis, jugis ptyaliſmus, ſiticula, tuſſis, dyſpnœa, febris typo expers, faciei inflatio, & pallor luridus, crurum, brachiorúmque œdema, ſcabies cruſtacea hinc inde efflorefcens, excretio urinæ vel nulla, vel pauciſſima, abdomen ſummè tenſum, grave, elatum, cum fluctuantium aquarum manifeſto ſtrepitu.

(1) *Joan. Philip. Houben natus Beyenburgi in Ducatu Montenſi, hodiè Legionarius in Cohorte Alſaticâ.*

Manè ac serò per octo dies hausit ægrotus jusculum ex carne vitulinâ, radicibus lapathi, cichorei, foliis fumariæ, nasturtii, scolopendrii, cum asellis, & sale de duobus.

Diebus nono & decimo ebibit apozematis cathartici libras IV. undecimo die rediit ad juscula, quorum singulo jam præibat bolus ex rheo, scillâ, millepedibus, & conservâ cochleariæ confectus.

Hisce perrectum est ad quartam septimanam; successit vinum radicibus enulæ, scillæ, ari, herbis cochleariæ, nasturtii, seminibus sinapi, sale absynthii medicatum, & syrupo domestico edulcoratum, cujus duæ unciæ ter in die sorbebantur, unà cum bolo ex sapone, croco martis, gummi ammoniaco, scillâ, rheo, aloë succotrinâ.

Eluc-

Eluebatur interim os appropriatis antiphlogiſticis, antiputridis, demulcentibus, conſolidantibus.

Sic aſcites cum Scorbuto evanuit; ſymptomatum reliquias fugavit ſuccus naſturtii in ſero lactis dilutus, poſteà ipſum lac, cui folia menthæ infundebantur.

Cap. VII.

De

Febre Quartanâ.

DElibanda ſupereſt febris quartana, Autumni proles, militi non tam familiaris, quum caſtra occupat liberiore & puriore fruitus aurâ, quàm ubi præſidiarius otiatur intrà urbes, amnibus ac ſylvis vicinas, foſſâ ſeptas paluſtri, quæ certis temporibus

poribus fœtorem ſpirat, & vallo nimis elato, cujus interventu aër intrinſecus cum forinſeco minùs benè circulat. Tales loci ſunt plures, rheni ripam tenentes, affectûs hujus endemiâ infamati, & idcircò à legionibus tanto odio habiti, ut invitiſſimæ illis immorentur.

Colendi, non ridendi ſunt veteres, quòd in quotidianâ febre pituitam, in tertianâ bilem, in quartanâ atrabilarium humorem culpaverint, aſſignato ventriculo, ùt primæ domicilio, hepate ùt ſecundæ, ſplene ùt tertiæ. Illinc emanavit utiliſſima diſtinctio in intermittentes *legitimas* & *illegitimas.* Si quartana tenet hominem ſiccum, frigidum, pigrum, melancholicum, cujus viſcera fortia, fluida compacta, cutis glabra, pulſus rarus & ſat

& ſat vegetus, ſin adoritur horis ſerotinis, ſi longo affictat frigore, *legitima* aut *exquiſita* dicitur; hæc potiſſimùm ſpecies copias jactat.

Cùm ex primo inſultu, quod genus febris ſit, ſcire non liceat, exſpectandum eſt ſecundum biduum, quod inſumi debet potando decoctum radicis lapathi acuti, ſale Glauberiano impragnatum, cujus ope mobilis fit humor, poſt tertium paroxiſmum emetico expellendus. Die poſtero, & binis intercalaribus quartam inter & quintam acceſſionem propinetur ſequens.

℞. Rad. 5. aper. minor. unc. I.
Coq. in ſ. q. aq. font. ſub finem adde
fol. ſenn. mund. drach. X.
Scolopend.
Cichor. ſylv. aa m. I.
Summitat. centaur. min. p. II.
Sal. epſon. unc. I.

In

In colat. libr. IV. dilue
Syrup. de cich. c. rhab. unc. II.
f. apozema. omni quadrihorio scyphus.

Proximo biduo suppetias ferat cortex.
℞. Cort. peruv. elect. alcoholis. drach. I.
Rhei.
Scill. ppt.
Sal. absynth. aa scrup. ß.
Syrup. de cich. comp. q. s.
F. bolus manè ac serò vorandus, superbibendo infusum flor. chamomil.

Quòd si posthàc redeat insultus prioribus mitior, ac brevior, perstetur in cœptis bolis; Sin insultus æquè acris, repetatur decoctum lapathi cum sale Glauberiano usque ad imminentis accessionis diem, quo ipso hypecacuanhæ drach. ß. detur; altero mane præscribatur hoc palmarium, quod ex centum vix uni quar-

quartanæ pepercisse, observavimus.

℞. Kinkin. elect. recent. in pollin. redact. drach. I. ss.
Rad. ireos flor. scrup. I.
Sal. ammon. depur. scrup. ss.
Mell. narbon. q. s.
F. bolus, deglutiatur per triduum, vel quatriduum, in vini albi unc IV. dilutus.

Sic nec in vetustatem incidet hæc febris, nec post se trahet alia mala; neque etiam repullulascet, si deinceps (jussâ sobrietate) bis in die exhibeatur decoctum radic. cichor. sylv. sale sedlizensi fœtum; à quo tardissimè desistendum est; debet enim *juvantis pertinacia malum corporis ita vincere*, ut febri, deletis retrò vestigiis, nullum omninò esse possit postliminium. (1)

(1) Scitur, Quartanarios à recidivâ tutos

Si præter ſpem evenit, eſſe ex innumeris aliquem; cui febrem præ-

---

tutos non eſſe, niſi toto hyeme *medicè* vivant. Si Miles toties relabitur in morbum, vel citior remediorum intermiſſio, vel intemperantiæ ratio, vel perſpirationis inæqualitas, actis ocyùs excubiis adſcribenda; in culpâ ſunt. Quamobrem ſanatus Quartanarius non, niſi longò poſt tempore, à Medico dimitti debet, & morandum illi in Noſodochio eſt, donec completa virium integritas, & ſanus faciei color, unà cum aëris ſerenitate, ad exitum invitent. Qui paululùm mente revolvit, quantoperè hominem frangat redux quartana, ſentiet, cui commodo ſit Principi longa convaleſcentium in ſanis Noſodochiis mora; cui incommodo maturior eorumdem egreſſus, & ad arma celerior ſurrectio.

Præ

præfata methodus non excutiat, fas erit, experiri uſum camphoræ, (1) cujus gr. III. cum nitri O gr.

Præ cæteris faciliùs recurrit quartana *Splenetica Sennerti*, quæ ſcirrho lienis ſtipatur, atque pertinaciſſima eſt; petit iſta conſtantem uſum ſaponis, & ſquillæ. Monere hìc cogor, ut interdum, dato ſplenis infarctu ſcirrhoſo, ad phlebotomum confugiat Medicus; utpote infarctus ille, magnâ ex parte ſanguineus, vel ad diaphragma ita interdum exporrigitur, vel volumine & mole ſuâ diaphragma ita moleſtat, ut tuſſis invadat convulſiva, quæ, niſi attentiùs impugnetur, clanculùm inflammat pulmones, & tum enato abſceſſu, tum extravaſato in thorace liquido, ægrotum jugulat, docente autopſiâ.

(1) Vim Camphoræ febrifugam extulit Illuſtr. D. Barthes. *Vide actus math. & phyſ. in diar. erudit.* 1756.

gr. VI. omni trihorio exhibeantur diebus ſerenis ; id genus remedii apprimè indicationes implet , cùm ſuppreſſa tranſpiratio, & ſpaſmodicæ ſtricturæ paroxiſmorum perſeverantiam fovent. Ubi minus fiduciæ ponitur in camphorâ ſic datâ , poterit hæc idoneè cum kinkinâ nubi , ùt aliquoties feciſſe , non me pœnituit.

Ubi vigor , habitus ſanus, nec urgentis ſaburræ nota , nec in cachexiam proclivitas eſt , quod non raro accidit, curationis principium & baſis phlebotomia eſt ; hæc ſiquidem laxat fibras rigidas, hæc juvat coacti , denſati , compreſſi humoris explicationem,hæc virus febrilis tum evacuationem, tum aſſimilationem præparat , & corpus , alioquin aſperrimum , & obſtinatiſſimum , in bonam ſui mutationem quaſi inflectit. Non mi-

miserius præceptum est, quàm quartanariorum sanguinem non mittere; cùm quartanæ sint, quæ, prætermissâ venæsectione, vix remediis parent; imò sint, *quas Chirurgi gladiolus eodem ictu, quo vena inciditur, confodit.*

Miser non minùs, ac deflendus error est, circà corticis usum tantæ avaritiæ ac parcimoniæ esse; cùm certissimum sit, ubi febris altè infixa est, à largissimâ atque repetitâ hujus remedii dosi non pari malum, quod ab uno febris accessu paritur. Neque parum insanire est, à chinâ chinâ religiosiùs abstinere, quotiescunque ægrotus aut tumet, aut obstructus est, aut pectore laborat; quippe illi tumores, illi infarctus potissimùm à febris morâ fabricantur, nec, nisi fugatâ febre, curabiles sunt, in pejus ituri,

quandiu, omissâ verâ febreos medicinâ, solis aperientibus patiens vexatur, ac debilitatur. Pectori quidem à vi corticis adstrictivâ noceri nonnunquam potest; sed neminem Clinicum latet, esse tusses, esse dyspnœas, esse pulmonis labes, quibus cortex rectè subvenit.

Utcunque ex anni tempestate, ex naturâ aëris & loci id genus febris emergit, & ratione originis suæ ita generalem postulat praxin, ut una, eadémque, citrà discrimen, pollere videantur pharmaca; Medici tamen in Nosodochio exercentis mente elabi non debent illa, quorum reminiscitur apud privatum civem, cui insueto anni tempore, & in salubri aurâ constituto quartana est; Videlicet debet cogitare,

quos-

quoſpiam in tanto febricitantium numero eſſe, quorum morbus, ùt non à communi, ſed à ſpeciali ortus cauſâ, ſic non ſummatim cum aliis, ſed particulatim pertractandus, & ſingulari ſanandus curâ eſt; eſſe v. g. quos hæc febris incedit, repulſis malis cutaneis; nec relinquit, niſi his malis revocatis; eſſe alios, quos quartana à pejoribus morbis vindicat, quos proinde citò hâc eximere non licet; plures eſſe, queis primæ acceſſiones tam benefaciunt, ut his non ſtatim adverſari, ſed quaſi blandiri oporteat; ſiquidem nihil excogitabit ars, quod, acceſſionibus illis meliùs, ſolvat, atque deobſtruat; cujus rei jam monuerunt Priſci, (1) quartanâ

 tan-

(1) Hip. Aſclep. Galen. &c.

tanquam remedio utentes, & negotiosè curantes, ut hæcce febris reviviſceret, quando in malum continuum complicatius, & nequius degeneraverat.

Cogitandum quoque Medico eſt, ægrotantibus inſigni præſidio eſſe corporis motum; quapropter debent illi nimio, ac diurno ſomno eripi, ſocordi decubitu interdici, & quantum per loci ſpatium licet, exerceri; *dandáque opera eſt, ut in ipſam exercitationem febris incurrat, ſic enim ſæpè illa diſcutitur.* (1) nuſquam vidimus, Qartanarios Noſocomia mutare, quin evenerit, aliquorum febrem, cæteroquin contumacem, in ipſo itinere aufugiſſe; quod beneficium non magis

(1) Celſ.

gis mutatus aër, quàm commotum corpus præstitit.

Illud demùm memoriæ insit, quòd in algore non meliùs conducat, intùs dare spirituosa, quàm dorso & lumbis calefacta lintea affricare; quoniam enim algor à spasmis est, & spasmi à naturæ conatu, quæ, cutis capillamenta stringendo, impactos humores urgere, atterere, & resolvere tentat, sequitur, apprimè efficere frictiones, quod natura vult fieri, idque tutò efficere; dum econtra non potest non metui, ne magna spirituosorum dosis (potiùs solida stimulans & crispans, quàm fluida resolvens) spasmos eousque multiplicet, ut ipsissimi motus, quos in ægroti commodum molita est natura, evadant lethales, exortâ visceris

inflammatione, vel circulo ſanguinis prorsùs ſufflaminato.

Quartanæ *duplices*, *duplicatæ*, *triplices*, *triplicatæ*, *continuæ* ratò in ſcenam prodeunt, & ſi quando prodeant, febribus erraticis annumerari conſueſcunt; quia in Noſodochiis non ſinit tot ægrorum permiſtio, obſcuros ſingularum febrium typos accuratiùs exquirere, ab invicem diſcernere, atque uniuscujuſque ſpeciem menti inſculptam habere; nec magni refert, harúmce febrium ordinem & ſpeciem adeo ex amuſſim internoſcere, cùm ferè omnium par therapeia ſit: duplex quartana, ùt tertiana, triplex quartana, ùt quotidiana, quartana continua, ùt febris remittens curatur; de quibus igitur non eſt, cur differamus, ne-

que

que juvat de aliis intermittentibus loqui, v. g. de tertianis legitimis, quæ quidem castra nullo vere, nullâ æstate, non pervagantur, sed quarum adeò decantata medicatio est, ut inane ac fastidiosum foret, eandem hâc super re cantilenam iterare. Constat satis in præsenti medicinæ statu, qualis praxis intermittentibus morbis adhibenda sit; mirabile est autem, praxin hanc tantâ in luce poni, quantumvis cæca adhucdum sit theoria de intermissionum causis, & medicos planè fugiat hucusque, quare, & quomodo morbus statis periodis eat, redeat. Typos adscribere cacochyliæ, in primarum viarum latibulo, datâ copiâ, dato tempore collectæ, & sanguinis gremio transmissæ, illósque sic deducere tanquam ex periodico

ſonte, & mechanicè interpretari velle, abſonum, & à veritate tantò alienius eſſe ſcitur, quòd idem ſæpè purgans & fontem illum exhauriat, & febrem revocet, quódque apud aliquot ægros, dum apyrexia eſt, nec coctionis læſio, nec ſaburræ ſignum, nec in ſolidis, nec in fluidis vitioſi quid detegi poſſit. (1) Rationale magis foret, cum Clariſſimo de Sauvages febrium ordinem adſciſcere animæ, quæ ad reficiendas vires ſuas interpolatis diebus quieſcit, & à conatibus ſuis, vincendo morbo adhibitis, ceſſat; cùm enim anima in actionibus


(1) Ut ejuſmodi Quartanarum Victor ſis, balneis tepidis utaris, interdum neceſſe eſt; debent enim occulta ſiccitas, rigiditas, irritabilitas in ſuſpicionem venire, ubi nihil in corpore animadvertitur, quod purgantia & alterantia conſueta indicet.


liberis laborem quiete compensset, quidni & in actionibus vitalibus resarciet laboriosa sua molimina, atque à curationis negotio identidem remittet, quando sentit, morbosi virus subactionem non urgere, nec periculum in morâ esse, ùt in febribus intermittentibus accidit? verùm quæri poterit, si in gratiam reparandarum virium quiescit anima, cur quietem labori non æquet; cur, quò labor diuturnior, eò sit quies brevior, & vicissim; nam paroxismus febrilis quò plùs extenditur, eò apyrexiæ tempus magis contrahitur, eò minus & circumcisius quietis intervallum est. Quidquid sit, si novimus causam, quâ positâ, febris incipit, durat, intermittit, minimè tamen intelligimus, quid præcisè periodos illas constanter sibi similes, & velut temporis circino di-

dimensas ac definitas producat; latebit hoc, quemadmodum & latet nos, quid in febribus continuis exarcerbationes non manè sed serò, non interdiu, sed noctu potissimùm determinet. (1) Eruant se alii ex his tenebris, qui malunt de incertis litigare, quàm de occultis dubitare; nos, qui præ speculativis utilia amplectimur, magis eligimus, opusculum hocce arcto gyro restringere, quàm rudioris calami frena laxare.


---

(1) Docuit observatio, noctu, dum somnus ingruit, ita mutari in homine sano pulsum, ut minuti spatio decem crescat pulsationibus; incremento huic nocturnam morborum exacerbationem tribuere, quin incrementi hujus indagetur causa, non est, nodum solvere, sed ex primâ obscuritate inducere in secundam.





INDEX.



PMT 32